

DE  
QUADRINGENTORUM  
**ATHENIS FACTIONE**

COMMENTATUS EST

**GUILLELMUS WATTENBACH,**  
PHIL. DOCTOR.

---

BEROLINI 1842.  
IN COMMISSIS APUD GUIL. BESSER.

30

ATLANTA, GA. 1880

44

ATLANTA, GA. 1880

ATLANTA, GA. 1880

A

220. E. 18<sup>2</sup>

DE  
QUADRINGENTORUM  
**ATHENIS FACTIONE**

411

COMMENTATUS EST

**GUILLELMUS WATTENBACH,**  
PHIL. DOCTOR.

---

BEROLINI 1842.  
IN COMMISSIS APUD GUIL. BESSER.




OF THE STATE OF

ALABAMA

IN SENATE

January 10, 1882

REPORT



**VIRO**

**CLARISSIMO DOCTISSIMO HUMANISSIMO**

**IOANNI CLASSEN,**

**PHILOSOPHIAE DOCTORI PROFESSORI LUBECENSI**

1814

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.

AUCTOR.

Ut ad eum qui semen sparsit messis jure pertinet, ita quaecunque in his studiis perficere mihi contigerit non tam mea esse quam Tua, Praeceptor Dilectissime, et per se patet et ego laeto animo profiteor. Hanc autem qualemcunque scriptionem, qua primum in publicum prodire ausus sum, Tuo nomine ornata incedere et se quasi tutari ne dedigneris, pro solita Tua humanitate et benignitate rogo. Tuo enim munere, Te antiquitatis Graecae monumenta nobis explicante primum et diligere haec studia coepi et viam atque rationem qua ad interiorem ejus cognitionem perveniri possit demonstratam accepi. In eo Graecarum literarum amore quum me Welckeri V. Ill., cui faustum e Graecia reditum fervidis votis precamur, praeclarissimae scholae in omne tempus confirmavissent, evenit ut Gottingae pro loco inter seminarii philologici sodales obtinendo aliquid mihi scribendum esset. Quum de materia eligenda incertus essem, K. O. Müllerum, qui ea ibi studia tum cum magno

nostro bono moderabatur, adii et a Viro Clarissimo, qui etiam domestica consuetudine me humanissime dignatus erat, petii ut aptam occasione rem mihi indicaret, et is mihi auctor fuit, ut Quadringentorum res denuo tractandas susciperem; sed quum rem magis quam expectaveram difficilem esse mox cognoscerem, nondum absolutam quum in Graeciam V. Cl. proficisceretur commentationem pro tempore seposui, nam in rerum Atticarum cognitione me nondum satis profecisse videbam: sperabam fore, ut ex Graecia reduci Müllero aliquando eam proponere possem. Sed fata vetuerunt, et quem proficiscentem votis prosecuti eramus (nam ipsis non licuerat), eum redeuntem excipere non contigit. Inde relicta Georgia Augusta rem coeptam sensim ad finem perduxì, quae per se non magna esset, sed qua saepissime ad alias res cum hac conjunctas cognoscendas addicerer; tum etiam aliis occupationibus saepe distinebar.

Haec autem eo consilio exposui, ne arrogantius videar rem tot Virorum DD. curis illustratam denuo tractandam suscepisse, nam nonnulla quum in medio opere essem vel etiam serius in publicum data sunt.

Ratione autem scribendi ea usus sum, ut primum ex ipsis fontibus quae reperire poteram haurirem interque se componerem, deinde ad recentiorum scriptorum commentationes me converterem, quae magnis me difficultatibus implicuerunt. Nam primum statim lecta doctissima earum rerum expositione a Krügero V. C. edita paene desperabam me his quidquam quod operae pretium esset addere posse; sed spe nova aliqua inveniendi confirmatus et



quum singula multa aliis locis postea a Viris DD. copiose tractata esse scirem, in proposito perrexi. Ita egregia Sieversii civis nostri doctissimi de Xenophontis Hellenicis commentatio non pauca mihi suppeditabat, quum totam rem brevius tractavisset. Alia quam plurima Meinekii et Bergkii atque Hanovii VV. DD. studia in explicandis poetarum comicorum fragmentis collocata illustraverunt. Deinde incidi in Droyseni V. C. miro quodam ingenii acumine conscriptam de Avibus Aristophanis commentationem, quae veritatis specie ita me cepit, ut in conjecturis a V. C. propositis tanquam in firmissimis substructionibus me niti posse putarem, et eo consilio omnem rem denuo tractare ordiret. Sed quo longius processi, eo magis dubitare coepi, an factio paucorum ante ipsa hujus conjurationis initia Athenis nulla fuerit, postremo contrariae opinioni totum me addixi eamque argumentis firmare studebam. Itaque vix poteram quin aegre ferrem, jam cum Büttnero etiam C. F. Hermannum V. C. ad eandem rationem accessisse, quum Vischerus et Scheibius alteram praetulissent, nempe ne operam inutiliter consumpsisse censerer. Sed quum ipsa Quadringentorum historia hac sententia a nemine data opera tractata esset, tamen non inutile videbatur in tanta opinionum diversitate denuo eam quam possem accuratissime narrare, ut nostrae sententiae argumenta uni conspectui proponerentur; ipsisque rebus si non multa at aliqua tamen vel addi vel novis rationibus comprobari posse putavi. Quibus praemissis quum novam harum rerum expositionem excusare voluerim, simul explicandum videbatur, cur recentiorum scriptorum in ea

rarior mentio fiat. Nam quum eximia K. O. Mülleri benignitate adjutus pleraque e fontibus ipse hausissem, quae postea ab aliis occupata cognovi ubique indicare et supervacaneum putabam neque ambitus scriptiunculae concedebat: diversas autem omnium de singulis rebus opiniones si afferre voluissem, magni ambitus volumen vix suffecisset, itaque quae mihi vera videbantur ut poteram argumentis firmare sat habui. Omnino omnia plene exponere nec volui nec potui, itaque quae vel ab aliis explicata constare videbantur vel quum incerta sint novo modo illustrare non poteram, brevissime attigi. Sed vereor ne in exponenda brevissimae scriptionis ratione longior fuerim. Id unum addam, me nec Volckii nec Schneitheri libris a C. F. Hermannno laudatis, quum vellem, uti potuisse.

Tu autem, Praeceptor dilectissime, quem affinitatis vinculo arctissime mihi conjunctum ut fratrem dudum dilexi, has studiorum primitias benigne quaeso accipias, quas Tuis auspiciis aliquanto confidentius in lucem profero. Vale.

**B**ellum Peloponnesiacum rebus Graecorum eo maxime perniciosum fuit, quod singulas Graeciae civitates fere omnes factionibus et turbis civilibus implicuit, quum qui in paucos imperium transferre cuperent, ad Lacedaemonios, alteri, popularis rei propugnatores, ad Athenienses rem traherent<sup>1)</sup>. Sed principum harum civitatum alia ratio erat: nam ceterae illae urbes, quae societate magis minusve iniqua cum earum alterutra conjunctae erant, quum mutata reipublicae forma ad alterum foedus transirent, vel in eadem condicione manebant, vel adipiscebantur meliorem; Spartanorum autem et Atheniensium qui de ipso principatu contenderent potentia et vires cum ipsa civitatis forma ita conjunctae erant, ut qui hanc evertere conatus esset, ipsam patriam plane in hostium potestatem tradidisset. Et Spartanorum quidem popularis factio nulla fuit, Athenis vigesimo demum belli anno res eo devenit, ut etiam bonis viris optimatum dominatio optabilis videri posset. Nam quum usque ad id tempus Athenienses per totam Graeciam rem popularem defendissent, optimates de statu suo ubicunque possent deiecissent, jam post omnium paene sociorum defectionem desperabant fore, ut in ea agendi ratione perseverantes victoria potirentur, et novum socium circumspicientes persuaderi sibi passi sunt, ut avitis legibus desertis novo dehinc consilio agerent,

<sup>1)</sup> Cf. Thuc. III. 82. 83. Apte Krüger V. C. bella Punica confert v. Liv. XXIV. 2.

qui quum Spartanorum exercitus prope fines esset (Olymp. 80, 4) viros aliquos Athenis fuisse tradat, qui eos spe subjiciendi sibi populum arcessiverint. Fuerint, eo tempore, etsi pauci et invalidi, nam victis ad Tanagram Atheniensibus nihil in urbe novatum est; postea, quum per Periclem in populi potestatem omnia essent redacta, fuisse non puto. Nam anxia illa multitudinis de libertate sua sollicitudo, illae continuae accusationes unumquemque ab ejusmodi conatibus deterrere debebant: neque ante cladem Siciliensem ullam conspirationem deprehensam esse traditur. Singulos homines fuisse qui odio populi incitati inania consilia animo agitent, quis neget<sup>1)</sup>? factionem ea rei publicae condicione formari potuisse, prorsus incredibile videtur. Quomodo enim populum Atheniensem tam diu latere potuisset, qui quum majores suos tyrannis obnoxios fuisse sciret<sup>2)</sup>, aliasque civitates ab optimatibus hostibus prodi saepe videret, vehementi et saepe insaniae simili metu tyrannorum et conjurationum<sup>3)</sup> angeretur, quem ne quando deponeret magno studio cavebant assentatores publici, plebicolae isti<sup>4)</sup>, quo scilicet ipsi tanquam vindices et propugnatores libertatis et rei popularis firmiorem sibi pararent auctoritatem<sup>5)</sup>. Ita Andocidem quater

<sup>1)</sup> Duos *μισοδημίας* reos condemnatos esse tradit Andocides Or. c. Alcib. §. 37, quae oratio quum suspectae fidei sit, non imperitum tamen habuit auctorem. Ejus farinae fuisse videtur *ὁ Πιστοῦ* (Aristoph. Av. 766) quem Pisandrum esse, nondum mihi persuasit V. Cl. Vater in Encycl. Ersch. et Gruber. s. v. Peisandros.

<sup>2)</sup> Eam hujus rei causam affert Thuc. VI. 58. cf. c. 60.

<sup>3)</sup> *ξυνομοσίαν νεωτέρων πραγμάτων καὶ δήμου καταλύσεως* vocabant. Thuc. VI. 27.

<sup>4)</sup> Livii verba sunt III. 68.

<sup>5)</sup> cf. Aristoph. Vesp. 484 seq. Recte Sievers l. l. n. 74: „Mera enim commenta erant, quae Cleon aliique ejusmodi demagogi de oligarchicis conjurationibus jactitabant. Thuc. VIII. 73. de Paralys: καὶ αἰεὶ δήποτε ὀλιγαρχία καὶ μὴ παρουσία ἐπικει-

tanquam paucorum potentiae faveret, sed frustra in jus vocaverunt<sup>1)</sup>, quem ab ipsa quadringentorum factione hostis loco habitum esse, notum est.

At Alcibiadem Sieversius (l. l. p. 15) factionem suam convertisse dicit ad paucorum dominationem constituendam, unde si porro anniteretur ad tyrannidem perveniret: cui opinioni Alcibiadis tota indoles et natura plane adversari videtur. Etenim Alcibiades non is erat, qui quemquam potentiae suae participem faceret et ingentem qua flagrabat honoris et gloriae cupiditatem expleturus eam rationem sequebatur, ut multitudini spem ea quae maxime concupisceret adipiscendi omnem in se potissimum collocandam esse ostenderet: itaque iis, qui ad paucos summam rerum transferre cuperent, haudquaquam idoneus socius fuit<sup>2)</sup>, quod mox res ipsa monstravit. Quin imo Droysenio potius V. Cl.<sup>3)</sup> assentirer, qui ab ipsa illa, quam fuisse sumit, paucorum factione Alcibiadem in exilium actum esse credit, si eam Athenis tunc fuisse, persuadere mihi possem. Per eosdem viros et hunc e republica expulsus et libertate postea populum privatum esse et Isocrates disertis verbis refert<sup>4)</sup>, a V. Cl. laudatus, neque est quod dubi-

---

*μέρους.*<sup>2)</sup> cf. quae eorum similia apud Syracusanos loquitur Athenagoras. VI. 36. — Ideo Aristoteles (Polit. V. 4, 1.) mutati status culpam non optimatum sed demagogorum malis artibus tribuit, sycophantis Lysias δήμου καταλ. ἀπολ. §. 27.; cf. Plat. Rep. VIII. p. 565 seq.

<sup>1)</sup> c. Alcib. §. 8. — Putabatur μισόδημος καὶ ὀλιγαρχικός εἶναι (Plutarch. V. Alcib. 21.) itaque si quis alius ejusmodi consiliorum particeps esse debebat; *σασιώτης* proprium verbum de iis fuisse videtur, v. Andocid. l. l. et Harpocrat. s. v.

<sup>2)</sup> cf. Thuc. VIII. 63. καὶ γὰρ οὐκ ἐπιτήδειον εἶναι αὐτὸν εἰς ὀλιγαρχίαν ἐλθεῖν.

<sup>3)</sup> In egregia illa de Avibus Aristophanis et de Hermocopidis commentatione, quae est in Musei Rhenani a Welckero et Naekio editi Vol. III, 2. IV, 1.

<sup>4)</sup> de big. p. 317. §. 7. ἀπαντες γὰρ ἴσασιν, ὅτι διὰ τοῖς ἀ-

temus, sed jam tunc eos de constituenda paucorum dominatione cogitavisse, nec probari potest, neque verisimile est. Nam his in rebus tutissime mihi quidem agere videmur, si Thucydidis auctoritate accurate utimur, qui quum pugnae Tanagrensis tempore conspiratum fuisse referat, quum sequentes paucorum machinationes dilucide exposuerit, hic privatas tantum aemulorum et invidorum inimicitias commemorat. Utrum igitur nescivisse, quibus artibus Alcibiades succubisset, an relatu ea indigna putavisse est existimandus? Illud prorsus incredibile, hoc a tam egregio rerum scriptore alienum videtur: qui ab omnibus quidem forensibus contentionibus narrandis merito abstinuit, quae magni in summis rebus momenti fuissent tacere minime potuit. Sed in Alcibiadis illa condemnatione paulisper consistamus oportet.

Quum Cleon bellum quod domi fortiter suaserat, foris male gessisset et in turpissima fuga mortem invenisset <sup>1)</sup>, Brasida Lacedaemonii orbatu essent, Niciae auctoritas ita praevaluit, ut pacem cum Lacedaemoniis facere posset; nam indomita, dum prospere omnia succederent, Atheniensium multitudo rebus per bella attritis moderatioribus viros patienter audiebat <sup>2)</sup>. Sed quum manente pace reipublicae vires mox refectae essent, partium studiis recrudescentibus, quum deteriores aliqui oratores in gratiam populi venerunt, ut Hyperbolus, homo flagitiosus et sola audacia pollens <sup>3)</sup>, Cleonymus, corpore vasto, in

---

τοὺς ἄνδρας ἢ τε δημοκρατία κατελύθη κακῆϊνος ἐκ τῆς πόλεως ἐξέπεσεν.

<sup>1)</sup> Thuc. V. 10., contra cujus testimonium diversae aliorum narrationes parum valent.

<sup>2)</sup> Cf. Thucydides VIII. 1. πάντα τε πρὸς τὸ παραχρημα περιδεές, ὅπερ φιλεῖ δῆμος ποιεῖν, ἐτοῖμοι ἦσαν εὐτακτεῖν.

<sup>3)</sup> De eo communi comicorum ludibrio v. Meineke, hist. crit. com. p. 188—195.

periculis ignavia conspicuus<sup>1)</sup>, Demonstratus<sup>2)</sup>, Androcles, Pisander, Charicles, tum viri generis nobilitate et divitiis insignes rempublicam capessebant et de principatu cum Nicia certabant, Phaeax<sup>3)</sup>, Andocides Leogorae f.<sup>4)</sup>, Cliniae Alcibiades, qui populo acceptissimus brevi gratia et auctoritate ita florebat, ut omnibus, qui apud populum aliquid valere cuperent, manifestum fieret, eo incolumi nullam sibi successus spem relinqui. Qui quum plurimos singulos imprudenter offendisset et petulantia sua atque lascivia non paucis molestus et odiosus factus esset, pontificibus praesertim<sup>5)</sup>, acerrimis veteris disciplinae vindicibus, in incredibili illa anxietate, caeco isto timore, qui post violatos Hermas multitudini ab oratoribus injectus erat, occasio apparuit, qua inimicis ejus contingeret, ut hunc quoque suspectum populo redderent, tanquam solus rerum potiri studeret<sup>6)</sup> (eatenus enim plane assentior Droysenio, qui totius facinoris naturam optime exposuit) quod ut caverent jam aliquot annis ante Andocides populum erat hortatus<sup>7)</sup>. Sed ut haec ita procederent, nullo opus fuit

---

1) Ab Aristophane sexcenties irrisus, Pisandri in persequendis Hermocopidis socius v. Andocid. de Myst. §. 27.

2) Suasor expeditionis Siciliensis. Aristoph. Lys. 391.

3) Plutarch. Alcib. c. 13. Aristoph. Eq. 1377 cf. Th. Bergkii Commentationes de reliquiis Com. Att. p. 337 seq.

4) v. Orationes ejus et Vitam ab A. G. Beckero enarratam.

5) Plutarch. Alcib. 33. Thuc. VIII. 53.

6) cf. Thuc. VI. 15. φοβηθέντες γὰρ οἱ πολλοὶ τὸ μέγεθος τῆς τε κατὰ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα παρανομίας ἐς τὴν διαίταν καὶ τῆς διανοίας ὧν καθ' ἑν ἕκαστον ἐν ὄψι γίγνοιτο ἐπρασσον, ὡς τυραννίδος ἐπιθυμοῦντι πολέμιοι καθέστασαν. Sed eam adversam sibi jam ante causam istam multorum opinionem concionibus suis a se depulisse videtur.

7) c. Alcib. §. 24. cf. Aristot. Pol. V. 4, 4 qui ex ejusmodi viris tyrannos existere dicit. Quamquam illa oratio merito nimis suspecta est, quam ut ejus testimonio secure utendum sit.

consilio imperium a populo in paucos transferendi, nulla optimatum quae eo tenderet factione, ut Droysenius l. l. III p. 484. IV. p. 44 demonstrare voluit, quamquam iidem viri, qui Alcibiadem tunc oppugnabant, postea quadringentorum virorum imperium constituerunt, ut ait Isocrates <sup>1)</sup>. Scilicet omnibus qui concionibus auctoritatem sibi et potentiam quaererent, admodum importunus erat Alcibiades: iidem postea oblata occasione explendae cupiditatis avide usi sunt; nam quum satis gravis causa, quae ad agendum impellere eos potuerit, appareat, magnopere cavendum est, ne spreto Thucydide <sup>2)</sup> nostras eis opiniones subjiciamus. Nimirum tum de sua unusquisque magnitudine cogitabat: commune desiderium in breve tempus connectere eos potuit, non ut per complures annos concorditer agerent efficere.

Alcibiadis igitur vehementissimi adversarii partim optimates erant, partim oratores populares et sycophantae <sup>3)</sup>, qui multitudinem ad caecum furorem excitarent, sed hi aperte agentes, tectius illi, quorum solus, ut videtur, Thessalus Cimonis f. patrio odio impulsus in arenam ipse descendit <sup>4)</sup>, ceteri mercenario oratorum

<sup>1)</sup> v. p. 5. n. 4. Sed etiam alii Alcibiadem aggressi sunt, qui istorum consiliorum expertes manerent, ut Androcles.

<sup>2)</sup> VI. 28. καὶ αὐτὰ ὑπολαμβάνοντες οἱ μέγιστοι τῷ Ἀλκιβιάδῃ ἀχθόμενοι ἐμποδῶν ὄντι σφίσι μὴ βεβαίως αὐτοῖς τοῦ δήμου προεσθῆναι καὶ νομίζοντες εἰ αὐτὸν ἐξέλθοσιν πρότεροι ἢ εἶναι ἐμεγάλυνον. Veram rationem perspexit Büttnerus in laudata a laudato viro commentatione de hetaeriis, suamque C. F. Hermannō persuasit sententiam (v. Berl. Jahrb. f. wiss. Kritik. 1842 p. 135), quum hic V. C. in libro suo (Lehrb. d. gr. Staatsalterth. §. 165. 18) Droysenianae opinioni favisset. Tamen non putaverim, Androcleum cum Pisandro, Chariele, ceteris arcto hetaeriae vinculo se conjunxisse, quae Büttneri opinio est.

<sup>3)</sup> „da Alcibiades ihrem marktschreierischen Gewerbe den Markt verdarb“ Droysen, l. l. p. 184.

<sup>4)</sup> Plutarch. V. Alc. c. 22. cf. Sievers. l. l. n. 12. Tamen novarum rerum postea immunis fuisse videtur.



auxilio usi sunt<sup>1)</sup>, ne mutata instabilis multitudinis mente ipsi periclitarentur veriti.

Ceterum primae inter ejus accusatores partes Androclis fuerunt, qui apud populum postea mansit<sup>2)</sup>, quem solum praeter Thessalum Plutarchus commemorat. Ceteros qui quaestionem de violatis Hermis habuerunt, etiam Alcibiadem persecutos esse, nusquam dicitur et ejus causa certe a ceteris diversa fuit, tamen veri simile est, Pisandrum, Chariclem, Diognetum, quum inter *ζητητάς* essent<sup>3)</sup>, in omnia hujus generis crimina inquisivisse; quamquam de Pisandro ut dubitem facit, quod iidem, qui Alcibiadi gratificaturi Androclen interfecerunt, Pisandro potissimum paciscendi cum eodem Alcibiade munus imposuerunt<sup>4)</sup>.

Utut id fuit, ex Androclis exemplo videmus, nihil inde de studiis eorum aut popularibus aut rei populari oppositis esse concludendum. Nam quod Pisandri in constituenda quadringentorum virorum dominatione magnae partes fuerunt, quod inter triginta conspicuus fuit Charicles, id equidem miror a quoquam potuisse argumenti instar adduci, quum in omni memoria et apud omnes gentes transfugae novarum partium accerrimi asseculae fuerint, quod ne nostris quidem temporibus fieri desiit. Itaque illos revera tunc rei populari favisse existimo<sup>5)</sup>, non quod pro optima eam civitatis forma

1) Thuc. VI. 29. *ἄλλους ἤθητος ἀνιέρτες*, ex quo apparet, jam antea non omnes oratores proprio motu locutos esse.

2) Plut. V. Alcib. 19. Thuc. VIII. 65.

3) Andocid. de myst. §. 14. 36.

4) Obstant Isocratis verba illa, quibus Pisandrum tangi apertum videtur; tamen nihil quod ab oratorum consuetudine abhorreret commisit, si omnibus qui in illis causis inquisitorum et delatorum partes egissent etiam condemnati Alcibiadis crimen imputavit, etiamsi quis alias tunc sibi victimas elegit. Neque enim solus Alcibiades illis artibus petebatur.

5) Mecum facit Vater V. C. (Ersch. u. Gruber. Enc. Art. Pei-

habent, sed quoniam eam artibus suis opportunam esse videbant. Generis nobilitate certe neuter insignis fuit. Pisander <sup>1)</sup> Acharnensis apud poetas comicos nulla re a Cleonymo Cleophonte Hyperbolo ceteris popularibus oratoribus distinguitur, plane ejusdem generis convicia in eos ingeruntur, quae confirmantur Xenophontis et Aeliani testimoniis. Vasto corpore, gulae deditus, a Phrynicho simiis annumeratur, sed frequentius cum magnis illis asinis, tribulibus suis, componitur. Praeterea fur vocatur et peculator, turbarum et bellorum excitator, quae lucro sibi verteret, vultu truci, armis insignibus fulgens, nempe in urbe, nam ignavia ea fuit, ut vel ad Pactolum ipsum auri fontem suscepta expeditione avarissimus homo omnium pessime pugnaret, secundum lepidum Eupolidis <sup>2)</sup> inventum; quin „*δελότερος Πεισάνδρου*“ in proverbium abiit. Num anni 91,4 archon eponymus fuerit, in nomine non infrequenti incertum est. Solo igitur, ut plerique isti populi assentatores, dicendi genere pollebat quod forensi turbae placeret, haud sane spernendo, nam quantum eo postea perfecit, infra videbimus; et quum bellum reformidaret, magna in foro utebatur audacia.

De Charicle, Apollodori f., Pisandri in quaestione habenda collega, pauca accepimus, quod poetis comicis nullas irridendi opportunitates praebebat. Favori po-

---

sandros, n. 61) et Th. Bergk l. l. p. 329, dissentit cum aliis Vischer. (Die oligarch. Parthei und die Hetairien in Athen, p. 19.) Apte conferas, quae de hujus farinae hominibus loquitur Lysias *δήμου καταλ. ἀπολ. §. 8—11.*

<sup>1)</sup> Quae ad Pisandrum pertinent omnia collecta et digesta habent Meineke *Fragm. com. l. pag. 176 ss. cf. II. p. 436 et Vater l. l.*

<sup>2)</sup> *Astrateut. fr. 1 Mein.*

*Πεισάνδρος εἰς Πακτωλὸν ἰστρατεύετο  
κάντιῦθα τῆς στρατιᾶς κίκετος ἢ ἀνήρ.*

quae verba neque conjectura tentanda neque aliter explicanda esse arbitror.

puli auctus ol. 91,4. triginta navium expeditioni praefectus est <sup>1)</sup>, quo munere functus domum rediit. Quadringentorum tempore ab horum partibus stetisse videtur <sup>2)</sup>, sed non conspicuus inter eos fuit, deinde, quum solum mutasset cum Lysandro revertit et inter triginta viros vehementissimae factionis cum Critia dux fuisse fertur <sup>3)</sup>).

Quod si causam quaeris, cur a populo ad optimates defecerint, aut cum Krügero <sup>4)</sup>, Viro doctissimo, divites factos eos castra mutavisse putemus, collatis quos affert Aristophanis in Pluto fabula versibus:

V. 597. *Σκέψαι τοίνυν ἐν ταῖς πόλεσιν τοὺς ῥήτορας  
ὡς ὀπόταν μὲν  
ὡσι πένητες, περὶ τὸν δῆμον καὶ τὴν πόλιν  
εἰσὶ δίκαιοι,  
πλουτήσαντες δ' ἀπὸ τῶν κοινῶν παραχρῆμ'  
ἄδικοι γεγένηται  
ἐπιβουλεύουσί τε τῷ πλήθει καὶ τῷ δήμῳ πο-  
λεμοῦσιν —*

aut Lysiae <sup>5)</sup> assentiaris, qui quo malefactorum poenas vitarent, turbas eos in republica excitavisse dicit. Sed utrumque verum esse potest, nam ipsa illa pecunia malis artibus quaesita erat.

Condemnato Alcibiade, quum tota civitas expeditionis Siciliensis eventum suspenso animo expectaret, in urbe nihil fere actum esse videtur, quod alicujus momenti esset, neque qui principatum in republica sibi

<sup>1)</sup> Diodor. XIII. 9. Thuc. VII. 20 cf. 26.

<sup>2)</sup> v. Isocrat. p. 355. Steph. et quem Bergkiius ejus rei testem dat Andocidem de Myst. §. 101

<sup>3)</sup> v. Xenoph. Hell. II. 3, 2. Mem. Socr. I. 2, 31. Aristot. Pol. V. 5, 4. Lys. c. Eratosth. §. 55. Andoc. et Isocr. de big. I. I. et omnino Th. Bergk I. I. p. 328 ss.

<sup>4)</sup> ad Dionysii Hal. historiographica p. 368.

<sup>5)</sup> δῆμον καταλ. ἀπολ. §. 9. οὐ Φρόνιχος μὲν καὶ Πεισανδρος καὶ οἱ μετ' ἐκείνων δημαγωγοί, ἐπειδὴ πολλὰ εἰς ἡμᾶς ἐξήμαρτον, τὰς περὶ τοῦτων δειλοῦντες τιμωρίας τὴν προτέραν ὀλιγαρχίαν κατέστησαν.

vindicare posset, inveniebatur. Alcibiades amicorum et sociorum multos secum in calamitatem traxerat, alii in Sicilia militabant, fuerunt tamen etiam qui remanerent<sup>1)</sup> sed eos tunc populo quam maxime suspectos fuisse, consentaneum est. Porro Andocides e societatis illius, cui cum Euphileto praefuisse videtur, naufragio, quum fere solus et ne ipse quidem incolumis evasisset, peregrinatum abiit<sup>2)</sup>; de Phaeace nihil amplius comperimus. Nicias cum imperio apud exercitum in Sicilia erat. Ex vetere illa nobilium virorum disciplina, quae Niciae in republica gerenda partibus favebat, jam admodum pauci superstites erant, qui post cladem Siciliensem, mortuo Nicia, mox ullius in rebus publicis momenti esse desierunt. Nam in Sicilia inprimis multi optimorum civium perierunt, quo funestior ea clades Atheniensibus accidit<sup>3)</sup>. Illi igitur postea partim de majorum virtute deficientes ad tyrannorum societatem sese applicuerunt, alii cum Alcibiade et Thrasybulo hosce oppugnaverunt. Sed qui tunc rempublicam capessebant, ii quum per se parum valerent societatibus clandestinis usi, amicorum opibus adjuti, non summis rebus moderari sed magistratibus sibi lucro futuris potiri et ne male parta pecunia per delatores spoliarentur corrumpendis judiciis efficere studebant<sup>4)</sup>. Itaque

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 48. Plutarch. V. Alcib. c. 32. Xen. Hell. I. 4, 19 cf. Büttner, hist. betaeriar. p. 70.

<sup>2)</sup> Andoc. de Red. §. 10. sc. quum *ἀδεια*, quae Menippo auctore ipsi data erat, alia lege (an Isotimidae? §. 71) ei dempta esset. §. 24. Nam etsi magni illius Hermarum violatorum facinoris et mysteriorum profanationis immunis fuisse videtur, antea tamen nonnulla impie in deos commisit v. de Red. §. 8. 24. 25. et Sluiteri lectt. And. ed. Schiller p. 39.

<sup>3)</sup> Andoc. de Pace §. 30. πολλοὺς Ἀθηναίων ἀπολέσαντες ἀριστὸν cf. Aristot. Polit. V. 2, 8.

<sup>4)</sup> v. Thuc. VIII. 54. Plato Theaet. p. 173. Rep. II. p. 365. Hi sunt οἱ μοχθηρότερόν τε λέγοντες καὶ πρὸς τὸ αὐτῶν

quum suis quisque rebus prospiceret, in publica opinione nihil mutatum est, bellum volentibus omnibus gerebatur, quin pacem cum Lacedaemoniis factam ultro violaverunt: allata Niciae illa epistola, nemine, ut videtur, contradicente, novas copias ei mittendas curaverunt; sed privatas discordias agitantes et quum multitudinis favorem singuli captarent, res bellicas negligentius administraverunt et qui bono publico prospiceret, nemo erat <sup>1)</sup>. Inter praetores omnium partium viros invenimus, Chariclem, Laespodiam, Demosthenem; nulla enim plus quam ceterae in republica valebat.

Miseram eam reipublicae conditionem subito detexit funesta illa clades, quae Metagitnione anni 91,4 accepta Athenienses in summum periculum adduxit. Nam allato e Sicilia de totius exercitus interitu nuncio nemo exitit qui orbatam optimis viris rempublicam suis auspiciis gerere conaretur. Quippe oratores isti populares, qui infaustam expeditionem acerrime suaserant, a merito irato populo de gradu suo dejecti sunt <sup>2)</sup>: quo facto populus qui rerum moli sustinendae se imparem esse intelligeret, quum circumspiceret salubrium consiliorum auctores, non potuit non iis potissimum se credere, qui initio statim ne expeditionem susciperent monuerant, eos dico, qui eandem cum Nicia in rebus publicis rationem sequerentur. Qui quum antea prae forensibus demagogorum declamationibus non auditi essent, quum ex hoc ipso tempore tam debiles fierent, ut statum suum in republica sustinere non possent, neque amplius inter factionum contentiones auctoritate quidquam valerent, tamen tunc, quum partium studia

---

*ἴδιον κέρδος πολιτέοντες. Xen. Hell. I. 4, 13. Ceterum de ἐταιρειαῖς istis optime disseruit Büttnerus libro supra jam laudato.*

<sup>1)</sup> Thuc. II. 65.

<sup>2)</sup> Thuc. VIII. 1. Χαλεποὶ ἦσαν τοῖς συμπεροθυμηθεῖσι τῶν ἠγιόρων τὸν ἐκπλουν.

in publico discrimine obmutuissent eos populum consiliis suis rexisse affirmaverim. Nam eo et Thucydidis verba ducunt<sup>1)</sup> et ipsorum decretorum natura. Suaserunt enim, ut sumptus minuerentur, belli apparatus conficerentur, et deliberandi de summis rebus initium ut aliquot majoribus natu viris mandaretur, quos ex ipsorum numero electos esse putaverim. Pisandri certe, quem factionis oligarchicae ducem constituunt, nulla tunc fuisse potest auctoritas, quum populares oratores uno ore expeditionem illam commendavissent; fieri enim non potuit, ut eorum, qui solo multitudinis favore pollerent, quisquam rei tam vehementi studio ab ea expetitae ullo modo se opponere auderet. Ii autem omnes tunc iratum sibi populi animum experti sunt. Sed quoniam recentiorum nonnullorum scriptorum de his Probulis, id enim novi magistratus nomen, plane diversa fuit sententia<sup>2)</sup> paulo accuratius de iis agendum erit.

Verum priusquam pauca ea quae de his Atheniensium Probulis memoriae prodita sunt, excutiamus, haud inutile fore existimo, si collatis veterum scriptorum locis, quibus aliorum Probulorum mentio fit, quotquot vel ab aliis enotatos inveni vel ipse reperire potui<sup>3)</sup>, propriam ejus nominis vim demonstrare conatus fuero. Itaque qua latissime patet vocabuli vis, *πρόβουλος* est, qui vel consilii princeps est vel pro alio aliquo consulit<sup>4)</sup>. Hac ratione commune foederatorum populorum

<sup>1)</sup> VIII, 1. *ἐτοῖμοι ἦσαν εὐτακτεῖν.*

<sup>2)</sup> Krüger ad Dionys. Hal. hist. 274. 366. Droysen l. l. IV. 44. Wachsmuth, hellen. Alterthumskunde. I. 2. p. 201. Scheibe, die oligarch. Staatsumwälzung in Athen. p. 5. C. F. Hermann l. l. §. 165, 11. Vischer l. l. p. 24.

<sup>3)</sup> Indagare non potui quem ad Hesychium s. v. citat Sopingius: Laert. p. 120. *οἱ πρόβουλοι καὶ οἱ στρατηγοὶ εἶπον.*

<sup>4)</sup> *Πρόβουλος* ἄρχος τοῦ βουλευτηρίου ἢ ὁ προσκεπτόμενος; Hesych s. v.

concilium Probuli vocantur. Nam Herodotus tum Ionum oratores qui in Panionium convenirent <sup>1)</sup>, tum qui pro communi Graecorum in Isthmo consultarent <sup>2)</sup>, et quos post proelium Plataeense Aristides Plataeos quotannis convenire jussit, Plutarchus <sup>3)</sup> eo nomine appellavit: eodem Dionysius Halicarnassensis translato ad peregrinas res domestico nomine tum supremum Volscorum concilium <sup>4)</sup>, tum eos qui pro communi Samnitium cum legatis Romanis agebant <sup>5)</sup>. Deinde Probuli sunt singularum civitatum certi aliqui magistratus, ii plerumque qui urbibus consilio et auctoritate praesunt, quemadmodum Plutarchus et Dionysius Romanorum Consules graece *προβούλους* vertunt <sup>6)</sup>, Plutarchus porro Ardeatium <sup>7)</sup>, Latinarum urbium proceres Dionysius <sup>8)</sup> Probulos appellant. Hoc paucorum virorum magna potestate oratorum consilium ab Aristotele <sup>9)</sup> Nomophylacibus et Senatui aliarum civitatum, quae liberiore republicae forma utantur opponitur, non quo per se cum paucorum imperio cohaereat, sed quoniam ea civitatis forma cum illorum consiliis optime convenit <sup>10)</sup>. Nam omnino ibi maxime viget multitudinis auctoritas, ubi omnia in populi concione et comitiis deliberantur, et paucorum semper id fuit consilium, ut quam plurimas

<sup>1)</sup> VI. 7. <sup>2)</sup> VII. 172. <sup>3)</sup> V. Aristid. c. 21.

<sup>4)</sup> VIII. 58. cf. Plutarch. Coriolan. 35. *τούς τῶν Ουόλοσκων προβούλους παρασησάμενος.*

<sup>5)</sup> XV. 8. 11.

<sup>6)</sup> Plut. V. Rom. c. 14. *κωνσούλας οἶον προβούλους.* Dionys. Hal. IV. 76. V. 1. *τούτο μεθρημοσμένον-συμβούλους ἢ προβούλους δύναιται δηλοῦν.*

<sup>7)</sup> V. Camilli c. 23. *τούς ἄρχοντας καὶ τούς προβούλους τῶν Ἀρδεατῶν.*

<sup>8)</sup> A. R. V. c. 61.

<sup>9)</sup> Polit. IV. 12, 8. VI. 5, 10. 13 Schn.

<sup>10)</sup> Aristot. Pol. VI. 5, 10. cf. IV. 11, 9 quae perperam intellexit G. C. A. Müller, resp. Coreyr. p. 47.

res ejus suffragiis subtraherent. Itaque jam ea civitas a forma penitus populari recedit, in qua nulla res, nisi quae antea in Senatu deliberata est, populo proponitur, quod Athenis lege cautum erat. Jam vero ubi Senatus tam paucorum hominum est, ut non amplius βουλή vocari posse videatur, προβούλους eos appellaverunt, qui quum pauci numero tanti in republica sint momenti, is est paucorum status existimandus. Recte igitur ait Aristoteles, Senatum esse formae popularis, Probulos, quos necesse sit paucos esse numero, in paucorum statu: nimirum eos Probulos, qui Senatus locum obtinent quibusque ea data sunt, quae in urbibus paucorum arbitrio subjectis magistratuum esse solent, ut neque rationes eis sint reddendae <sup>1)</sup> et officio suo per vitam fungantur <sup>2)</sup>. Nam si e solo Probulorum nomine concludis, civitatem paucorum voluntati obnoxiam esse <sup>3)</sup>, quid quaeso facias Corcyraeorum republica, ubi et Probulos invenimus et quos aristocratiae Aristoteles attribuit Nomophylaces et Senatum <sup>4)</sup>? Verum magnopere cavendum est ne generales magistratuum definitiones ab Aristotele propositas ad singulas civitates applicemus. Probuli igitur nulli reipublicae formae proprii sunt, sed in paucorum statu et frequentiores erant et maxima fruebantur auctoritate. Ejusmodi erant Cnidiorum Amnemes <sup>5)</sup>, Meliorum proceres quos ξυπέ-

<sup>1)</sup> cf. Boeckh, Staatsh. I. p. 203.

<sup>2)</sup> Ut Cnidiorum Amnemes, Lacedaemoniorum Gerusia Eleorum XC Senatores Aristot. Pol. V. 5, 8.

<sup>3)</sup> Schon der Name dieser Behörde deutet auf einen oligarchischen Charakter Vischer l. l. p. 23. quorum similia invenimus locis p. 14 allatis.

<sup>4)</sup> v. G. C. A. Müller de Coreyraeorum rep. p. 44 ff.

<sup>5)</sup> Plutarch. Quaest. Gr. c. 4. Horum tanta fuit auctōritas, ut exclusi a dominatione proceres ipsi iis se opposerent. quo facto lacessita dominorum iniuriis plebs utrosque debellavit. Aristot. Pol. V. 5, 3. 11.



δρους τῶν ὀλίγων Thucydides<sup>1)</sup>, Probulos Dionysius<sup>2)</sup> appellat; Megarensium Probulos<sup>3)</sup> eodem referas, sed vel Lacedaemoniorum Senatam eodem nomine dicere licebit, ut Tatii regis consilium Dionysius Halicarnassensis Probulos vocavit, Cadmeorum proceres Aeschylus<sup>4)</sup>.

Probuli autem aut soli cum populi comitiis rempublicam gerunt, aut cum senatu, cujus ubi eis opus est auctoritate, minore fruuntur potentia. Tamen quum de unaquaque re soli ad senatum referant, huic libere consulendi potestatem demunt eique velut sunt impositi<sup>5)</sup>. Iidem aut distincti sunt a senatu aut ipsi partem senatus efficiunt ut Massiliensium XV viri, quos apte cum Cnidiorum Amnemonibus Schoemannus V. Cl. confert<sup>6)</sup>. Eodem modo Corcyrae quoque et Julide Senatus inter Probulos et populum intercedit, sed quum apud utroque eo tempore, quo de iis aliquid traditum est, popolare esset imperium et rationes eis fuerunt reddendae et annuo munere fungebantur, atque omnino ab antiqua magistratus sui auctoritate, quam quidem habuisse quondam videntur, si ex antiquo paucorum imperio in civitate manserunt, tantum aberant, quantum Atheniensium Basileus vel Polemarchus et ipsi Prytanes, quorum Boeckhii V. Cl. eos similes fuisse censet<sup>7)</sup>.

<sup>1)</sup> V. 86. <sup>2)</sup> de Thuc. jud. 37. <sup>3)</sup> Aristoph. Ach. 755.

<sup>4)</sup> Dion. H. A. R. II. 45. Aesch. VII. c. Theb. 1006.

<sup>5)</sup> Aristot. Pol. IV. 12,8. ἀλλ' ὅπου ἄμφω αὐτὰι αἱ ἀρχαί, οἱ πρόβουλοι καθεξῶσιν ἐπὶ τοῖς βουλευταῖς. ὁ μὲν γὰρ βουλευτῆς δημοτικόν, ὁ δὲ πρόβουλος ὀλιγαρχικόν. Manifesta loci sententia est, senatus auctoritatem ibi imminui et velut infringi, impositis ipsi Probulis (cf. sequentia: καταλύεται δὲ καὶ τῆς βουλῆς ἡ δύναμις κ. τ. λ.) Quod quum planum esse videatur (neque aliter intellexit Schoemannus, Antiquitat. juris publ. Gr. p. 82) monui propter nugas G. C. A. Mülleri l. 1. p. 47.

<sup>6)</sup> l. 1. cf. Strab. IV. 1. p. 179.

<sup>7)</sup> v. Corp. Inscr. n. 1840. 2360. et G. C. A. Müller l. 1. p. 46—48.

Igitur quum apud ipsos socios suos Athenienses Probulos invenirent, non prorsus novum eum magistratum in suam quoque civitatem adsciverunt, quamquam majore potestate instructi similiores erant eorum, qui in paucorum statu rebus praeerant. Verumtamen multum aberat, ut ipsi Athenienses populare imperium novo instituto infractum esse existimarent, teste Thucydide, qui sub Pisandri adventum illud pro incolumi et intacto habet<sup>1)</sup>, neque vero Aristophanes ab his viris quidquam libertati timere videtur. Nimirum in ipsis illis viris quibus tantam potestatem crediderant eam fidem collocabant, ut nullas res novas ab iis motum iri confiderent. Comparare possis plebem Romanam, quae in montem Aventinum secesserat; nam quum ea duos viros, quos Probulos Dionysius<sup>2)</sup> appellat, ad instar Consulium sibi praefecisset, certe non dixeris, ibi manifesto deprehendi paucorum machinationes. Sic etiam populus Florentinus, libertatis suae inprimis tenax, aliquoties octo vel decem civibus summam rerum permisit, quum grave aliquod bellum gerendum esset.

Quae Probulorum apud Athenienses potestas fuerit, a nemine diserte traditur. E Thucydidis verbis id solum discimus, mandatum eis fuisse, ut de summis rebus quando opus esset praeconsultarent<sup>3)</sup>, eo scilicet consilio, ut et melius civitati consuleretur, et citius atque secreto aliqua agi possent. Quod si praeterea unicuique vel in senatu vel apud populum legem ferre

---

<sup>1)</sup> VIII. 53. Diodoro auctore (XII. 75.) Athenienses similem Xvirorum magistratum jam prius aliquando instituerunt cf. C. F. Hermann Antt. publ. §. 166. II.

<sup>2)</sup> A. R. XI. 44.

<sup>3)</sup> Verbo utor Dan. Heinsii in paraphrasi Politicorum Aristotelis. Thucydidis verba VIII., I. haec sunt: ἔδοξε . . ἀρχὴν τινα πρεσβυτέρων ἀνδρῶν ἐλέσθαι, οὔτινες περὶ τῶν παρόντων ὡς ἂν κωρὸς ἢ προβουλευέουσιν. Verti: de summis rebus, quod rectum esse docet Aristot. Rhet. III, 18.

licebat, non video, quae eorum esse potuerit utilitas, quare leges populi suffragiis proponendas a Probulis probandas fuisse arbitrator. Itaque τὸ προβουλευεῖν, quod antea senatus fuit, in hos translatum est, ita ut quae Probulis placuissent senatui, huic probata populi comitiis essent proponenda. Ergo merito Aristophanes senatores hujus anni ita carpit, tanquam munus senatorium in alios transferri passi sint<sup>1)</sup>. Nam quum convenire non desinerent (Thuc. VIII. 66.) et plerisque de rebus consulendi essent, tamen libere consultandi potestatem amiserant<sup>2)</sup>. Ita intelligitur, quomodo apud eundem Aristophanem in Thesmophoriazasis, etsi Probuli in magistratu sunt, tamen senatus aliquid decernere potuerit<sup>3)</sup>, Prytanesque solito officio fungi<sup>4)</sup>; itaque in Lysistrata quoque fabula Probulus senatus tantum, non suo nomine et quasi tutor quidam senatus agit: ejus loco legatos Lacedaemoniorum excipit<sup>5)</sup> ab eo oratores ut crearentur se curaturum esse pollicetur<sup>6)</sup>. Quae cum ita sint, etiam convocandi senatus potestatem eis fuisse nemo in dubium vocabit, populum ad comitia ciendi jus fuisse, lexici Segueriani quod vocant quamvis indocto auctori haud gravate credemus<sup>7)</sup>.

Jam vero quum senatus apud Athenienses duplex munus fuerit, qui aliis de rebus ad populum referret, alias ipse administraret<sup>8)</sup>, inde concludas, etiam Probulis, quibus senatus senatoriam potestatem tradidisse dicatur, certas

<sup>1)</sup> Aristoph. Th. 808 cf. K. O. Mülleri Praef. ind. l. aest. 1839, ad cujus rationes accedere nullus dubito.

<sup>2)</sup> C. F. Hermannus quidem (Berl. Jahrb. 1842. S. 124) hanc Scheibii sententiam rejicit, coll. Aristot. Pol. VI. 5,10: cui ego oppono IV, 12,8 (v. supra p. 17.) et Aristophanem.

<sup>3)</sup> v. 943. ἔδοξε τῇ βουλῇ σε δεῖν. <sup>4)</sup> v. 764. <sup>5)</sup> v. 981 seq. <sup>6)</sup> v. 1011.

<sup>7)</sup> Anecd. Bekk. Vol. I. p. 298. Πρόβουλοι. (ἄρχοντες θ') ἐξ ἑκάστης φυλῆς εἰς, οὔτινες συνῆγον τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον.

<sup>8)</sup> v. Boeckh. Oecon. civ. I. p. 165.

res suo arbitrio curandas fuisse permissas, datamque pecuniarum publicarum aliquam potestatem. Cui conjecturae favere videtur Thucydides, qui Atheniensibus visum esse refert oportere et classes conficere et pecunias cogere et sociis prospicere, porro sumptus publicos minuere et Probulos eligere, quae postrema duo membra arctiore nexu inter se conjuncta esse videntur. Equidem eos viros qui novum hunc magistratum populo commendarent, eo inprimis argumento usos esse putaverim, fore ut spectati viri ex omni populo electi melius quam senatores sorte ducti pecunias publicas administrarent. Et accedit ad haec disertum Aristophanis testimonium, apud quem in Lysistrata Probulum ad arcem accedentem videmus, unde pecuniam ad classem instruendam necessariam prompturus est, quam se, i. e. opinor collegium Probulorum ad hunc usum comparavisse dicit<sup>1)</sup>. Sed quum seposita illa a Pericle mille talenta nondum exhausta fuisse videantur<sup>2)</sup>, fortasse eorum dispensationem sibi populus ipse reservaverat, ceteros redditus Probuli administrabant.

Consilii igitur publici gubernatores, administratores pecuniae Probuli, quorum potentia a multitudine quae more solito cum senatu ageret vix sentiretur, summi in rebus gerendis momenti fuerunt, etsi a scriptoribus admodum raro commemorantur; nam plurimum ad imprudentia consilia prohibenda valebant: quae ipsi ut fierent curabant, partim totius populi esse videbantur,

<sup>1)</sup> Lys. 421.

ὅτι γ' ὦν ἐγὼ Πρόβουλος ἐκπορεύσας ὅπως  
κοπής ἔσονται τὰ γινώσκου νυνὶ δέον — ἀποκέλευσαι τῶν πυλῶν:  
ubi cave ne cum Droysenio remiges intelligas. Ceterum, quod Wachsmuth V. C. (l. l. I., 2, p. 198) dicit (es ward ihnen die Ausrüstung einer Flotte übertragen) quo argumento nitatur nescio: id potius praetorum erat officium.

<sup>2)</sup> Aristoph. Lys. 174.

partim praetorum et militum, qui populi jussu contra hostes proficiscerentur<sup>1)</sup>.

De numero Probulorum apud Thucydidem nihil invenimus: Harpocration et Suidas decem fuisse tradunt, quorum verba infra accuratius excutienda erunt. Singulos e singulis tribubus fuisse, addit lexicon illud Sangermanense s. v.

Nomina duorum tantum ex iis commemorantur, Hagnonis et Sophoclis<sup>2)</sup>. Hagno Niciae alicujus filius vir fuit perillustis et cum veteribus illis optimatibus stetisse videtur. Eorum certe agendi rationis simile est, quod de eo Plutarchus (V. Pericl. 32) narrat. Nam quum populares oratores nimia cum vehementia in Periclem inveherentur, Hagno ut in judicium deduceretur poposcit quidem, sed insolitum, quem Dracontides proposuerat apparatus adhiberi vetuit. Aliquot annis ante coloniam Amphipolin deduxerat, finito bello Samio, quo prima ejus mentio fit. E colonia redux initio hujus belli expeditionibus bis praefectus est<sup>3)</sup>, domi tanta auctoritate fruebatur, ut filius quoque Theramenes ejus gratia in magno honore a populo haberetur<sup>4)</sup>, et beni-

<sup>1)</sup> Contra Lysias a solo Hagnone Theramenem praetura ornatum esse dicit (*ζωατηγός ὑπ' αὐτοῦ ἠρόθη* c. Erat. 65), quod ita interpretor: Hagnonis artibus et auctoritate effectum esse, ut filius eligeretur, nam ab ipsis Probulis praetores electos esse, vix adducar, ut cum G. C. A. Müllero (l. l. p. 47) credam. Tota res mihi non satis certa esse videtur, quum Theramenis praetura ante institutos quadringentos ab alio nemine commemoretur.

<sup>2)</sup> Lys. l. l. Aristot. Rhet. III. 18. Vater V. C. quum l. l. n. 74. Callaeschrum Probulis annumerat, errare videtur.

<sup>3)</sup> v. Thuc. I. 117. II. 58. 95. IV. 102. V. 11. 19. 24. Sintenis ad Plut. l. l. Omnibus iis locis eundem virum dici, certo argumento non constare fateor, sed nihil obstat. Etiam Lamponem Thuriarum *οἰκιστὴν* paulo post rursus Athenis versantem videmus.

<sup>4)</sup> Xen. Hell. II. 3, 30. *τιμώμενος ὑπὸ τοῦ δήμου κατὰ τὸν πατέρα Ἄγνωνα.*

volentiam erga Athenienses a patre velut hereditariam accepisse putaretur<sup>1)</sup>.

Sophoclis verba ab Aristotele servata infra tractabimus. Eundem fuisse arbitror illum Sostratidae filium, Phrynichi fortasse fratrem, qui cum Eurymedonte praetor in Siciliam missus, post reditum octavo ante quadringentos viros constitutos anno in exilium actus est<sup>2)</sup>. Postea inter triginta tyrannos fuit, unde nullum de antea vita praejudicium capere licet, quum qui semel apertius paucorum partes amplexus esset, vel metu populi praeceps propelleretur, neque tuto ab iis recedere posset. Quin eorum quoque qui quadringentos ejecerunt nonnullos ad triginta se applicuisse auctor est Lysias<sup>3)</sup>.

Certo tempore Probulorum officium circumscriptum fuisse, a nemine traditum est, neque novos electos esse legimus; mentio autem eorum postrema fit ante ipsam totius reipublicae conversionem<sup>4)</sup>.

Posteaquam de novo hoc magistratu in universum disputavimus, restat ut res ejus auspiciis gestas perlustremus: quae aperte demonstrare mihi videntur, eos initio cum nulla paucorum factione rem habuisse, sed soli reipublicae commodo, nullo partium studio corruptos consuluisse. Jam novus quidem ille vigor, quo bellum eo tempore gestum est, in neutram partem argumento esse potest, quum vel ipsi isti conjurati rerum potiti bello gerendo acriter incubuerint, neque de prodenda

---

<sup>1)</sup> Plutarch. Nic. 2. ex Aristotele ὅτι τρεῖς ἐγένοντο βέλτιστοι τῶν πολιτῶν, καὶ πατρικὴν ἔχοντες εὐνοίαν καὶ φιλίαν πρὸς τὸν δῆμον, Nicias, Thucydides, et Theramenes.

<sup>2)</sup> Thuc. III. 115. IV. 2. 46. 65. <sup>3)</sup> aff. tyr. 9.

<sup>4)</sup> Aristot. Rhet III. 18. Aliter Schoemannus l. l. p. 181. „videtur autem eorum potestas fere annua fuisse.” Sed plus anno intercedit inter prima illa comitia post nuncium de clade Metagitnionie mense accepta allatum habita et CDvirorum constitutionem.

hostibus patria cogitaverint prius quam periculis undique circumventi in vitae necisque discrimen adacti essent, diversi hac in re ab iis, qui sub ejusdem hiemis finem Oropum hostibus prodiderunt, quorum inceptis qui adversatus erat Polystratus, inter quadringentos postea est receptus<sup>1)</sup>. Sed a Probulis profecta sint oportet, quae Thucydides libri octavi capite quarto facta esse refert, ad minuendos exhausto aerario belli sumptus, quo facto id assecuti sunt, ut ceteris partibus bellum mirabili quodam vigore et prudenti consilio persequi possent. Verum quum haec nihil nos de partibus, quas in re publica gerenda secuti sint, concludere sinant, alia res certius nobis praebet testimonium, quae est lex de Samiis post expulsos proceres libertate donandis lata<sup>2)</sup>, summae quidem ea utilitatis, sed quae tam aperte cum optimatum consiliis pugnaret, ut eorum tunc in republica nullam auctoritatem fuisse appareat: quos ipsa ea lege ad extrema quaeque audenda compulsos esse arbitrator. Jam vero quum ejusmodi lex eo tempore, nisi a Probulis probata esset, populo rite proponi non potuerit, sequitur eam aut placuisse Probulis, ut quae optime publicae utilitati prospiceretur, aut iis invitissimum apud populum esse perlatam, quod sine seditione fieri non potuit: quae si tam gravis tunc Athenis evenisset, a Thucydide silentio praeteriri non potuisset. Praeter hanc legem de interna reipublicae condicione nihil audimus ante Pisandri ceterorumque legatorum e Samo insula adventum, itaque etiamsi nostra de Probulorum ingenio opinio alicui parum firmis argumentis niti videri possit, tamen multo minus probari potest, jam tunc ad paucorum voluntatem rem publicam gestam esse. Quod si paucorum inceptis illi favissent, Pisander profecto non cum aperto suo periculo apud populum verba fe-

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 60. Lys. p. Polystr. 6.

<sup>2)</sup> Thuc. VIII. 21.

cisset, sed eorum auctoritate usus ea quibus opus erat paravisset. Nunc multitudo fallacibus verbis decipienda erat, ut Probulos in suam partem trahere posset. Sed de hoc postea videbimus, nunc ad praetores nos convertamus, quos factio illa quam fingunt oligarchica ex suo numero creandos prae ceteris curare debebat, si tantum in republica valebat, ut electis Probulis futurae dominationis fundamenta jacere posset.

Igitur inter praetores, qui insequentis aetatis expeditionibus praefuerunt invenimus Strombichidem, bonum virum, qui fidem erga patriam postea morte luit <sup>1)</sup>, Euctemonem <sup>2)</sup> Aristocratem <sup>3)</sup>, primum cum Theramene discordiae inter quadringentos auctorem, Phrynichum et Scironidem <sup>4)</sup>, qui ipso Pisandro auctore imperio privati sunt, Charminum <sup>5)</sup> denique et Onomaclem <sup>6)</sup>, novarum rerum cum Pisandro ut videtur auctores. Sed ex his nominibus in neutram partem certum argumentum capere licet, ipsique praetores neutri parti satis fidi visi sunt. Nam quum a militibus suis rei popularis propugnatoribus loco pellerentur <sup>7)</sup>, tamen etiam quadringenti viri alios in eorum locum suffecerunt, qui *σρατηγοὶ ἐκ τῆς ὀλιγαρχίας* vocantur, Alexiclem <sup>8)</sup>, Aristotelem, Melanthium, Aristarchum <sup>9)</sup>, Theramenem <sup>10)</sup>. Pisander autem ipse a solo Cornelio Nepote praetor <sup>11)</sup>

<sup>1)</sup> Thuc. III. 30. 62. Lys. c. Agorat. 13. c. Nicomach. 14.

<sup>2)</sup> Thuc. VIII. 30. <sup>3)</sup> Thuc. VIII. 9. <sup>4)</sup> Thuc. VIII. 25. 54.

<sup>5)</sup> Thuc. VIII. 30. 42. 73. Aristoph. Thesmoph. 804.

<sup>6)</sup> Thuc. VIII. 25, postea cum Antiphonte accusatus Plut. V. X. Oratorum I., deinde inter XXX fuit. Praeterea Eucrates commemoratur ap. Aristoph. Lys. 103. cf. Schol. h. l. et Eq. 129. 254. Thymochares num jam tum praetor fuerit, nescimus. v. infra. <sup>7)</sup> Thuc. VIII. 76. <sup>8)</sup> Thuc. VIII. 92.

<sup>9)</sup> Theramenes apud Xen. Hell. II. 3, 46.

<sup>10)</sup> Ejus certe ante illorum dominationem nulla mentio fit. Thuc. VIII. 92. De Aristocrate infra videbimus.

<sup>11)</sup> Alcib. V. 3.



appellatur, quod toties irrisa ejus ignavia prorsus incredibile reddit, praesertim quum id a Thucydide taceri vix potuisset. Trierarchus fuisse potest.

Nulla igitur factionis alicujus, quae ad reipublicae eversionem callido consilio tenderet vestigia adhuc quum invenerimus, jam accedimus ad ipsa conspirationis initia, quae Thucydide auctore in exercitu Samio fuerunt, inde in urbem malum serpsit<sup>1)</sup>.

Per Cleocriti archontis hiemen parandum, insequenti aestate gerendum bellum et defectiones sociorum Atheniensium animos ita occupaverunt ut forensibus contentionibus non vacarent: moderatio illa, quam in multitudine post cladem acceptam Thucydides laudat, aliquantum duravisse videtur et copiae identidem Samum missae solitudinem in urbe fecerant. Tamen quum primus metus subsideret, et posse se hostium impetus sustinere viderent, ab anxia de salute sua sollicitudine respirantes universi aliquam rerum mutationem concupiscebant. Nam ut res erat propinqua pacis spes nulla apparebat, et a victoria pariter et ab interitu videbantur abesse. Paci autem quum nihil magis obstaret quam diversa rerumpublicarum forma, non imprudenti consilio potentissimus et ditissimus quisque pacis illo desiderio ita sibi utendum esse duxerunt, ut sibi dominationem et a delatorum vexationibus securitatem, patriae honestum aliquod cum Lacedaemoniis foedus acquirerent<sup>2)</sup>. Id, quum jam in alteram hiemen bellum aequo fere Marte duceretur, qui in classe et exercitu Samio dignitate ceteris praecedebant, sermonibus aliquam diu quum inter se jactavissent<sup>3)</sup>, rudia adhuc et

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 48.

<sup>2)</sup> cf. Xen Hell. II. 3, 45. Aristoph. Lys. 170.

<sup>3)</sup> Thuc. VIII. 47. τὸ δὲ πλεόν καὶ ἀπὸ σφῶν αὐτῶν οἱ ἐν τῇ Σάμῳ τριήραρχοὶ τε τῶν Ἀθηναίων καὶ δυνατώτατοι ὤρηθησι εἰς τὸ καταλύσαι τὴν δημοκρατίαν.

vaga consilia repente in conspirationis formam redacta sunt, accedente Alcibiadis auctoritate <sup>1)</sup>, qui auxilii Persici spem faceret. Is enim quum reditum in patriam numquam desperavisset, Spartanorum invidia et suspicionibus jam eo actus erat, ut ne secure quidem vivendi aliam facultatem haberet, nisi penitus deserta rerum publicarum cura turpem ignobilis vitam degere vellet. Itaque jam pridem operam dederat, ut Tissaphernis gratiam sibi conciliaret et Lacedaemonios ei invisos redderet, nunc Agidis insidiis eo compulsus est, ut quocunque modo posset reditum in patriam sibi parare deberet. Quod quum sine validae alicujus factionis auxilio effici non posse videretur, ipse optimates ad res novas molendas excitavit, currentes ut ajunt. Sed quum latere eum non potuerit, se in sola populari reipublicae forma ingenti, qua flagraret honoris et potentiae cupiditati satisfacere posse, neque unquam inter paucos aequo cum ceteris gradu contentum fore, veri simillimum est, eum optimates eo tantum consilio concitavisse ut turbata per eos republica ab altera parte revocaretur, reduci cetera facile processura ratum. Nam quod simulabat, paucorum statum constituendum esse, quia his Persae majorem fidem habituri essent, id omni probabilitate carebat, quum Persis interior Graecarum civitatum condicio nimis ignota esset, neque fere in aliis, quam in singulis viris auctoritate domi potentibus fidem collocarent <sup>2)</sup>. Nam quum mox maximi motus Athenis acciderent, id Tissaphernis animum omnino non tetigisse videtur, cujus major minorve cum Alcibiade necessitas agendi ra-

<sup>1)</sup> Media hieme, antequam Rhodum Lacedaemonii occupaverunt, Licha duce, qui circa solstitium brumale profectus erat et magno circuitu in Asiam pervenerat v. Thuc. VIII. 45. 39.

<sup>2)</sup> De Lacedaemoniis verum esset, cf. Xen. Hell. II. 3, 45 et quos Krüger l. l. p. 368 conferre jubet. Xen. Rep. Ath. II. 17. Polyb. X. 23, 6. adde Thuc. VIII. 70 extr. Aristoph. Lys. 170. De Persis v. Thuc. VIII. 81 extr.

tionem sola dirigeret. Itaque Thucydidi assentiri non dubitavi, qui quod ipse sentit, Phrynichum callidissimum virum dicere facit, Alcibiadem paucorum dominationem minime curare, neque alio consilio turbas in republica excitare, quam quo tumultu exorto a sociis suis et amicis revocaretur<sup>1)</sup>.

Propositiones igitur ab Alcibiade factae extemplo optimatibus certam opprimendae reipublicae spem iniecerunt et magnam impertiverunt confidentiam. Quos quum optimates dico, exprimere volui quod sibi ipsi vindicarent τῶν καλοκάγαθῶν nomen cujus apud ipsos Athenienses varia notio erat. Nam Aristophanes<sup>2)</sup> quum Demum Atheniensem vituperat, quod calocagathis reipublicam gerendam non permittat, viros a nostris illis prorsus diversos intelligit. Nimirum Phrynicho καλοκάγαθοι (Thuc. VIII. 48) erant, quicumque multitudini se praeferrent, imbuti sophistica illorum temporum doctrina, quae legum divinarum metu, humanarum reverentia omni eorum animos liberavisset, generis nobilitate alii, plures divitiis insignes, quas raro avitas, a plerisque peculatu et malis artibus partas fuisse putaverim. Hi autem re populari manente delatorum criminationibus et judicum severitati inprimis obnoxii erant, quare trierarchi<sup>3)</sup>, quos etiam sumptus pro re publica

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 48. cujus vestigia persequitur Plutarchus V. Alcib. c. 25. Krügerus V. Cl. monet, in rebus novis exules revocari solitos fuisse coll. Thuc. VIII. 70. Xen. Hell. V 2, 9. „nisi forte tantum propterea his studuit, quod se quoque non intercedente dominatum paucorum institutum iri intellexit, ideoque tempore sibi utendum duxit, quo mox potentis futurae factionis amicitiam sibi conciliaret.“ l. l. p. 366.

<sup>2)</sup> Eq. 738. cf. de illis Büttner l. l. p. 28.

<sup>3)</sup> Thuc. VIII. 47. βέλτιοι, δυνατοίτατοι, τριήραρχοι; inter hos Eratosthenes fuit. Lys. c. Erat. §. 42. Illi igitur ii ipsi homines erant, quos ab Atheniensibus ut sapientes et eloquentes suspici, tam aegre fert Aristophanes. cf. Aeschin. c. Ctes. §. 234. p. 87. Steph.

faciendi irritarent, occupandae dominationis consilia avidissime arripuerunt. Itaque sermonibus cum Alcibiade habitis, in exercitu statim conjurationem hominum ad hanc rem maxime idoneorum coegerunt atque publice de necessitate mutandi status loquebantur. Et multitudo quidem spe pecuniae Persicae quiescebat, conjurati vero rem inter se jam constitutam ceteris hetae-riarum (verbo Graeco utor cum Trajano, Ep. ad Plin. X. 43) sociis <sup>1)</sup> proposuerunt, qui libenter omnes ad eorum consilia accesserunt praeter unum Phrynichum, qui re bene perspecta eos ne ab Alcibiade decipi se paterentur admonebat et a nimis periculoso consilio ut desisterent, prudenter hortabatur. Cujus argumentis spreto illi imperandi cupiditate abrepti Pisandrum cum decem collegis legatos Athenas miserunt, qui operam darent, ut Alcibiades restitueretur, popularis imperii eversio pararetur, et cum Tissapherne de foedere et societate ageretur. Phrynichus autem, quum Alcibiadi, cujus iram metueret, perniciem frustra molitus esset, postquam hic popularibus partibus accessit, in paucorum incepta perficienda omni studio incubuit, ne utrisque suspectus ipse periclitaretur.

Ita in exercitu Samio primum variae illae consociationes, quarum antea suum quaeque et diversum finem habuerat, imperio potiundi causa in unum congressae sunt.

Domi Pisander omnia consiliis suis opportuna invenit. Quum bellum magno civium incommodo duceretur neque ulla propinquae pacis spes appareret, Persarum rege pecunias Lacedaemoniis largiter suppeditante et ingentis Phoenicum classis auxilium pollicito, quum propter defectionem sociorum pecuniae publicae non

---

<sup>1)</sup> τοῦ ἑταιρικοῦ τῷ πλείονι Thuc. VIII. 48. Ceterum Thucydidis locos ut ad singula quaeque probanda afferam, ubi tota narratio ejus auctoritate nititur, nemo, opinor, requiret.

redirent, aerarium esset exhaustum, commeatus ipsi a classe hostili interciperentur, atque Deceleam hostibus tenentibus ipsa urbs velut obsidione cincta esset, quotidie omnibus arma essent capienda<sup>1)</sup>: bellum tam molestum tamque diuturnum omnes aegre ferebant promptique erant in quaecunque aliquam honestae pacis spem praeberent cupidissime arripienda: quin sat multos propter oratorum nequitiam popularis imperii pertaesum fuisse traditur<sup>2)</sup>. Eam reipublicae condicionem quum ex ipsa belli historia informare nobis possimus, peropportune extat, qua ejus imaginem expressam videamus, Aristophanis fabula *Lysistrata*. Etenim sub ipsum Pisandri Athenis adventum, vel paulo ante acta est *Gamelione* Ol. XCII, 1, *Lenaeis*<sup>3)</sup>. Argumentum idem est quod saepius poeta tractavit, belli compositio ludicro modo effecta; et *Pacis* quidem fabulae, quae sub ipsam pacis *Nicianae* conclusionem docta est, ratio a nostra non admodum diversa est, *Acharnenses* autem si conferimus, multum interesse videmus. Ibi enim qui pacem suadet *Dicaeopolis* quam caute agit, quantam invenit omnium fere civium paci contrariam voluntatem, et quum argumentis tribulium suorum bellica studia refutavit, tamen solus manente bello pacem agit. Hic similem senum *Marathonomachorum* chorum invenimus, *Lacedaemoniis* valde infensum<sup>4)</sup>, sed nusquam vehemens illud belli studium deprehendimus, oblatam pacis occasionem libenter accipiunt, de solis condicionibus contentio est<sup>5)</sup>. Quae ad arbitrium a poeta ficta esse, qui fabulas tam accurate ad temporum rationes composuit, ne credas. Verum etiam in tota argumenti tractatione publica mala expressa videmus. Nam quum juvenes maximam partem in exercitu essent<sup>6)</sup>, ipsam

---

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 69. <sup>2)</sup> Isocr. de Pace. p. 181. Steph.

<sup>3)</sup> Secundum rationes K. O. Mülleri l. l. <sup>4)</sup> v. 628. <sup>5)</sup> v. 1161 ss. <sup>6)</sup> v. 524.

urbem armorum strepitus personaret<sup>1)</sup>), rerum condicio tristior esse videbatur, quam ut solita irridendi cives licentia uteretur<sup>2)</sup>): velut mansuefactus poeta vix quemquam civium ludibrio habet, etiamsi omnibus parcere non potuit. Quod non fecit, quia malorum civium copia non suppeditabat, imo in tanta factionum propriis commodis intentarum copia et confusione, neque quem ceteris praeferret, neque unde majus periculum timeret, invenit<sup>3)</sup>. Ideo parabasin totam omisit, qua quid suaderet incertus esset, rem a calamitate publica alienam tractare nollet. Eam quae tam prope instaret rerum novarum molitionem praevidisse non videtur, nam quum senes illi Hippiae aliquam tyrannidem et communicata cum hostibus consilia suspicentur, consociationes istas vituperat quidem acriter, sed ut magistratibus occupandis intentos<sup>4)</sup>), et ipsi Pisandro peculatum quidem et protrahendi belli studium objicit<sup>5)</sup>), altiora autem et audaciora consilia nulla metuere videtur. Qui praeter Pisandrum cum contemptu nominantur, Lycon et Lysistratus<sup>6)</sup>), obscuriores sunt et nullius ut videtur in re publica momenti. In Vespis fabula (v. 1301) inter Phrynichi et Antiphontis compotores cum Hippylo et et Thuphrasto commemorantur, sed quum Antiphontum multitudo ipsum Plutarchum<sup>7)</sup>) tantis difficultatibus implicuerit, Phrynichus saltator eo tempore notissimus

---

<sup>1)</sup> v. 555 ss. <sup>2)</sup> v. 1047. <sup>3)</sup> cf. K. O. Mülleri hist. litt. graec. II. p. 246.

<sup>4)</sup> v. 619 ss. v. 577.

*καὶ τοὺς γε οὐνισαμένους τοῦτους καὶ τοὺς πιλοῦντας ἑαυτοὺς ἐπὶ ταῖς ἀρχαῖσι διαζῆναι καὶ τὰς κεφαλὰς ἀποτίλαι.*

<sup>5)</sup> v. 490.

*ἵνα γὰρ Πελοπιδος ἔχοι κλέπτειν χοὶ ταῖς ἀρχαῖς ἐπέχοντες, ἀεὶ τινα κοροκορυγὴν ἐκίπων.*

<sup>6)</sup> v. 270. 1105.

<sup>7)</sup> Siquidem recte Plutarcho libellum de X Oratoribus G. A. Beckerus vindicavit.

fuerit <sup>1)</sup>, equidem inde non concluderim eos paucorum factioni esse adnumerandos. Bilem autem omnem effundit in Siciliensis expeditionis, praesentium malorum fontis, quae tot egregios viros absumpserat, acerrimum suasorem Demonstratum. (v. 390 ss.)

Pisander igitur quum Athenas venisset, ea populi mente fretus, cum collegis de mutanda reipublicae forma verba publice facere ausus est <sup>2)</sup>. Nullam amplius esse salutis spem nisi cum Persarum rege foedus concluderetur: id fieri non posse nisi rebus in paucos translatis revocatoque ex exilio Alcibiade. Id si fecissent, victoriam propinquam ostendere, faustum omnium rerum eventum praedicere: monere deinde, ne de optima civitatis forma nunc deliberari putarent, de sola salute agi, post victos Lacedaemonios omnia in pristinum statum posse restitui. Tamen multum aberat, ut initio statim tranquillis animis audirentur, quum utrarumque partium studia aequae offenderent. Ergo duplex illico clamor exortus est, alter oratorum popularium, qui populi imperium mordicus tenerent — quid enim sine hoc ipsi erant valituri? alter optimatium, qui omnia pati quam redire Alcibiadem mallent, potentiae aemulum sibi quam maxime timendum, ejusque restitutioni praetenta religionum reverentia magno opere obniterentur. Eae turbae, is clamor manifesto arguunt, usque eo in urbe neminem a conjuratis in ipsorum consilia initiatum fuisse, quoniam nemo prodiisse videtur, qui rationes a Pisandro propositas aliqua ex parte populo commendandas susciperet, omnium vero minime Probulos, quibus viam sibi muniendam eos mandaturos fuisse, dubium esse non potest. Verum tota res recens nata erat, et quum legati post ipsa conspirationis primordia profecti essent,

---

<sup>1)</sup> Andoc. de Myst. §. 47. Aristoph. Vesp. 1491. Meineke hist. crit. com. I. p. 148.

<sup>2)</sup> Quae sequuntur. e Thuc. VIII. 53 54. desumpta sunt.

socios in urbe conciliandi tempus nullum fuerat. Qui ubi Athenas venerunt, sermonibus cum idoneis hominibus, antequam in publicum prodirent, habendis tempus terere non poterant, ne in promptas multitudinis suspiciones incurrerent. Igitur quum primis illis orationibus parum profecissent legati, quibus accerrima veterem statum defendendi studia minime improvisa evenirent, eadem illa argumenta iterum atque iterum tum universis, tum singulis ingerendo tandem sententiam suam multitudini probaverunt, vel certe adversarii, qui aliam salutis viam indicare non possent, ut loco sibi cederent effecerunt. Quum multitudinem terrore belli obtento et auxilii Persici spe sibi conciliassent, optimatum alii oppressi sunt, alii (eos dico, quales supra eo nomine me designare monui) in consiliorum societatem recepti. Quibus eos, quum multitudinem ipsam non pertinaciter resistere viderent, libenter accessisse consentaneum est, desponsa nimirum ipsis dominationis parte, et edoctos, Alcibiadis nomine apud populum quidem et auxilii Persici gratia sibi utendum esse: ubi rerum potiti essent, facile fore ut illo liberarentur. His fere artibus Pisandrum rem perfecisse, conjicere possumus, id certe Thucydidis testimonio constat, eum omnia ista sodalitia iudiciorum corrupendorum et magistratuum petendorum gratia inita in rem suam pertraxisse. Eodem fere tempore etiam Probuli ad eorum partes accesserint oportet, quorum auctoritate quum leges illis comitiis latae indigerent, tum quae post illa a conjuratis agitata sunt, nisi iis conniventibus fieri non potuerunt<sup>1)</sup>, et in constituendo ipso quadringentorum senatu eorum auxilio usi sunt. Quibus rationibus singuli commoti sint, nescimus. Alios scientes populi rem prodidisse,

---

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 66. ἐβούλευον δὲ οὐδὲν, ὃ τι μὴ τοῖς ἔνευρηκόσι δοκῶν.



Hagnonem cum filio in istorum societatem receptum<sup>1)</sup>, alios cum reliqua multitudine ex bona fide egisse veri simile est. Hac Sophocles usus est excusatione<sup>2)</sup>, quum Pisander, rerum gestarum malam famam a se in Probulos conferre cupiens, interrogaret eum, an ipse cum reliquis Probulis quadringentos instituisset. Quod quum concederet Sophocles, neque vero rem pravam fuisse negaret, contendit tamen, sibi melius agendi rationem nullam fuisse. Quod si quis inter eos fuit, qui aliter sentiret, terrore mox per totam urbem sparso a resistendo deterritus est.

Verum ut ad Pisandri illam concionem redeamus, populum eo adductum vidimus, ut verba de rei publicae conversione facta patienter audiret: ultra procedere non ausi sunt, nam priusquam ad ipsum paucorum dominatum constituendum accederent, multa facienda restabant. Lege lata Pisandro et collegis mandatum est, ut cum Tissapherne et Alcibiade paciscerentur, quibus conditionibus ipsis optimum esse videretur. Praeterea Phrynichus et Scironides ut imperio privarentur effecerunt, Alcibiadi gratificaturi, quo facto virorum sibi mox imprimis deditorum auctoritatem infregerunt, locumque dederunt Diomedonti et Leonti, probis viris, qui quum antea inferiori loco apud classem fuissent<sup>3)</sup>, jam praetores facti omnibus istorum consiliis magnopere restiterunt: unde rursus apparet, adhuc eorum in republica auctoritatem perexiguam fuisse, nondum in unum coacta factionum illa multitudine. Ceterum lex, qua Alcibiades revocaretur, nulla lata est, quare Vatro V. Cl. assentiri non possum, qui (l. l. p. 86.) Critiam iis comitiis revocandi Alcibiadis auctorem fuisse cen-

<sup>1)</sup> v. Lys. c. Eratosth. §. 65. καὶ ὁ μὲν πατήρ κ. τ. λ. ubi τοῖς πράγμασιν verto rebus novis, non cum Büttnero p. 76 rei publicae.

<sup>2)</sup> ap. Aristot. Rhet. III. 18. <sup>3)</sup> Thuc. VIII. 23.

seat quum paesertim legati de ejus reditu agentes nihil effecerint<sup>1)</sup>).

Alcibiades enim quum Tissapherni ut Lacedaemonios aperte desereret persuadere non potuisset, legatos de foedere agentes elusit et a recentibus sociis descivisse visus est<sup>2)</sup>; sed hi, etsi causam commutandae rei publicae praetentam vanam esse videbant, tamen soli in inceptis manere decreverunt. Neque vero tuto recedere jam poterant, nam quum semel de tollendo populi imperio verba fecissent, quum qui ex eorum numero Athenis erant vi et dolo viam iis munire coepissent, apparet aut vincendum iis fuisse aut saluti suae et vitae prospiciendum. Vires autem eorum haud exiguae erant, auctae post discidium Alcibiadis accessu Phrynichi quo vix quisquam rem factionis magis adjuvit. Itaque quum virorum et ad agendum fortium et facundia potentium et prudentia insignium copia muniti essent, nihil non audendum sibi putaverunt et ne soli pugnam inirent eos qui vel Sami vel in aliis sociorum urbibus rem in paucos transferre cuperent, firmissimis communis et spei et periculi vinculis secum conjunxerunt. Ita et magno ad rem perficiendam sociorum numero aucti sunt, et ne rerum domi potiti a sociis civitatibus desererentur, cautum putabant: nam oppresso populo mutuo omnibus auxilio opus fore<sup>3)</sup>. Sic potentis et securi imperii spe elati, hostes summa virium contentione debellandos esse censuerunt, quo pace honesta conclusa civitatis dominatione frui possent. Quod longe aliter evenit, quum Samiorum factio vinceretur et civitates, quae ipsis auctoribus statum mutavissent, ad Lacedaemoniorum partes deficerent. Verum haec illi

---

<sup>1)</sup> cf. Plut. Alc. 33. *Γνώμη δ' ἢ σε κατήγαγ'*, quod de hoc decreto dici non poterat.

<sup>2)</sup> Thuc. VIII. 54. sequentia hausta sunt e Thuc. VIII. c. 63—66. <sup>3)</sup> cf. Xen. Rep. Ath. I. 14.

imperandi cupiditate occaecati neque praeviderunt, neque videnti Phrynicho crediderunt, sed pecuniam ad bellum gerendum conferre placuit, cujus ipsi fructus essent percepturi, et Pisandro ejusque in legatione collegis cetera perficienda mandaverunt, ita ut cum quinque collegis ipse domum reverteretur, reliqui sociorum civitates sollicitarent: qui apud classem remanebant, Samiorum res agitandas sibi sumpserunt. Diotrepheo, qui urbium in Thraciae ora maritima sitarum praefectus electus erat, consiliorum socium ad rescindenda in illis partibus popularia instituta dimiserunt, qui primam Thasiarum civitatem paucorum imperio subdidit. Legati autem illi aliarum alii urbium leges everterunt, donec Pisander adscita satellitum manu Athenas pervenit.

Interea factiones illae urbanae, quas commune privandi rebus populi studium in concordi societate continebat, summa industria quae opus erant agebant. Quibus quum id praecipue propositum esset, ut terrorem multitudini incuterent, et a resistendo omnes deterrent, quaecumque eo tendere possent callide excogitaverunt, Antiphontis inprimis consilio usi, eoque majore cum successu operabantur, quod a nullo quamvis scelerato facinore abstinebant. Itaque satellitibus ad omnia patrandam promptis comparatis initium fecerunt caede Androclis, qua et multitudinem duce suo orbarent, et Alcibiadi gratificarentur, quem acerrime ille insectatus esset. Ceteri deinde plebei propugnatores quum occultis caedibus sublatis essent, tanta multitudinem formido invasit, ut neque interfectores quisquam aut exquirere auderet, aut quos suspectos haberet in iudicium vocare, neque in senatu populove non illis se opponere sed ne loqui quidem: nam qui nullam vim pateretur, magno bono affectus esse putabatur. Itaque nemine contradicente conjurati et in senatu et in populi comitiis verba faciebant, et quae sibi conducerent discernenda curabant; dicebant autem neminem nisi mili-

tes stipendio mereri oportere, neque summam rerum in pluribus esse, quam in quinque millibus, tantum numerum eo consilio prae se ferentes, ne quis majoris auctoritatis civis se exclusum iri putaret, dum mutatis rebus ipsi potestatem omnium rerum erant habituri. Ea autem in agendo prudentia simul et audacia utebantur, ut multo plures esse viderentur, quam erant, et quum nonnullos cum iis conjunctos esse appareret, quos ab ejusmodi rebus alienissimos omnes existimavissent, evenit, ut consilia ipsis contraria cum altero communicare nemo auderet. Etenim qui rebus publicis gerendis antea operam dederant fere omnes hetaeriarum vinculis constricti erant, quo factum est ut, si cui non probanti eae res fierent, is aut a sociis abriperetur, aut eorum auxilio destitutus resistendi viam et rationem nullam inveniret. Novos enim socios quaerere in mutua omnium diffidentia, quum robur populi in exercitu esset, homines autem rebus publicis tractandis assueti plerique ab altera parte starent, difficillimum erat. Itaque nemo conjuratorum consilia impedire potuit, dum factionum concordia manebat: ubi Theramenis aliorumque societates a ceteris secesserant, nervos conjuratio perdidit.

Hac rei publicae tempestate altera Aristophanis fabula acta est, Thesmophoriazusae, tertio post Lysistratam mense: quam quum lego sentire mihi videor, poetam multa quae dicere velit invitum tacere. Nam quum in aliis fabulis tantam inveniamus jocorum licentiam et petulantiam, quum ipsa Lysistrata in rei publicae condicione tota nitatur, hic a rebus publicis totum se avertit, et exagitandis quum Euripidis tragoediis tum mulierum nequitia occupatus quae in foro agantur plane non curare videtur. Et argumentum quidem simile in Ranis quoque tractavit, sed ibi quam acerba oratorum irrisio, quam liberi de rebus publicis sermones! Hic uno Clisthene excepto, cui parcere religiosum putavisse videtur, nemini illuditur, praeter parabasin, quam ad-

didit quidem fabulae, sed admodum languidam. Et in ea quoque obiter tantum et tanquam aliud agens Charminum attingit, pugna navali victum, Cleophontem, acrem postea popularis rei propugnatorem, sed qui hoc tempore ignave se gessisse videtur, quoniam conjuratorum sicarios effugit: postremo Hyperbolum hominem apud omnes contemptissimum et jamdiu e civitate ejectum perstringit: Pisandri autem rerumve ab illo agitatarum nulla mentio. Tamen vestigia passim apparent, quae poetam novis rebus minime favere ostendant. Senatores anni superiores uno versu (808) leviter notantur, qui tradito alteri senatorio munere<sup>1)</sup> parum idoneos se confessi sint; porro execratio eorum, qui majorum instituta convellant (361) a praecone non sine certa causa pronuciari videtur: Minervae autem, quae tyrannos oderit invocatio velut ex imo oppressi populi pectore exoritur (v. 1143).

Pisander igitur, qui Athenis omnia a sociis praeparata inveniret, statim extremam operi manum admove-  
re potuit: populi comitiis habitis legem tulit, ut decemviri legibus scribundis plena potestate crearentur, qui in certam diem leges de optima reipublicae forma proponerent. (Thuc. VIII. 67). Jam quum Aristotele teste (Pol. V., 3, 8) factio Athenienses sciens fefellerit, Regem pecuniam ad bellum gerendum suppeditaturum esse mentita<sup>2)</sup>, id quod in priorem legationem non cadit, recenti cum Alcibiade amicitia nondum dissoluta, ad hanc Pisandri concionem pertineat oportet, itaque Pisandrum de sua ista ad Tissaphernem et Alcibiade legatione omnia alia potius, quam quae reapse acciderant, retulisse sequitur.

---

<sup>1)</sup> Sc. Probulis, ex interpretatione Mülleri l. l. — v. 532 Rhetores cavillatur.

<sup>2)</sup> Aliter quidem Theramenes loquitur ap. Xenoph. Hell. II, 3, 45.

Sed illi decemviri legibus scribundis difficultates nobis cient. Nam quum Probuli ad id ipsum electi essent, ut de summis rebus consulerent, quum Aristotele teste quadringentorum virorum imperium constituerint, eorum hic requirimus mentionem. Jam vero Harpocraton et Suidas<sup>1)</sup> Probulos in illo τῶν ξυγγραφέων collegio fuisse tradunt, Philochorus autem et Androtion non decem, sed triginta ξυγγραφέας habent. Itaque mihi quidem optimum esse videtur, quod C. F. Hermannus<sup>2)</sup> suadet, ut apud Thucydidem levi mutatione facta pro decem (Δ) rescribamus triginta (Λ): nam alteram rationem a Schoemanno V. Cl.<sup>3)</sup> propositam, Probulis extraordinariam potestatem mandatam esse, eos binos sibi collegas cooptavisse, ideo non probaverim, ne Thucydides negligentiae arguendus sit. Sin Probulis viginti collegae populi suffragiis<sup>4)</sup> adjuncti sunt, deinde

<sup>1)</sup> Harp. s. v. συγγραφείς: Ἰσοκράτης Ἀρεοπαγικῶ (c. 24. p. 151. St.) εἰθισμένον ἦν παρ' Ἀθηναίους, ὁπότε δέοι, πληθὸς τι αἰρεῖσθαι, ὥσπερ εἰς ἕτην ἡμέραν εἰσέφερε γνώμας εἰς τὸν δῆμον (eam conjecturam esse arbitror, e solis Thucydidis verbis confectam) τοῦτο δὲ καὶ πρὸ τῆς καταστάσεως τῶν ὑ ἐγένετο, καθὰ φησι Θουκυδίδης. — ἦσαν δὲ οἱ μὲν πάντες συγγραφεῖς ἢ οἱ τότε αἰρεθέντες, καθὰ φησὶν Ἀνδροτίων καὶ Φιλόχορος, ἐκάτερος ἐν τῇ Ἀρθίδι ὃ δὲ Θουκ. τῶν ἐξυνημόνευσε μόνον τῶν προβούλων. Repetit Etymol. M. p. 732, interpositis post εἰς τὸν δῆμον verbis: ὡς Ἰωσηπὸς φησὶν. Corr. ex Ἰσοκράτης Suid et Phot. Apparet, quam caute horum hominum testimonio utendum sit. Suid. s. v. πρόβουλοι. πρὸς τοῖς οὖσι δέκα ἤρεθσαν ἄλλοι εἴκοσι εἰσηγησόμενοι τὰ δοκοῦντα τῇ πολιτείᾳ cf. Phot. s. v. Schol. Aristoph. Lys. 422 et 609, quod viginti Probulos exhibet.

<sup>2)</sup> Berl. Jahrb. 1842. p. 141.

<sup>3)</sup> Antiquitates jur. publ. Gr. p. 181.

<sup>4)</sup> A singulis tribubus binos electos esse, cum C. F. Hermannus (Staatsalt. §. 166, 13) concludas e Lysiae pro Polystrato oratione, vel potius orationis vestigiis et rudibus. §. 2. Vtrum quomodo Polystratus aut ξυγγραφεὺς aut πρόεδρος esse potuit, qui ne senator quidem sponte factus est? Nam Proedri soli e senatoribus tribulium suffragiis electi esse possunt, et

universis, ut leges de republica ordinanda conscriberent commissum, suo jure dicere potuit, triginta viros legibus scribundis electos esse, ne in re levi longior esset. Nam eos non suo sed conjuratorum impulsu egisse apparet, neque vero, quod hi voluisse videntur, ipsi rei gestae invidiam in se omnem suscipere voluerunt sed facta quaelibet proponendi potestate reliqua aliis perficienda tradiderunt. Conjurati autem quo tutius agerent constituta die populum ad comitia extra urbem in Colonom convocaverunt, locum praesidio seperunt<sup>1)</sup>. Ibi quum triginta virorum decreto (quod sine populi suffragiis ratum fuisse videtur) ab omni poenae metu soluti essent, sublata τῆ παρὰ νόμων γραφῆ, quod firmissimum libertatis munimentum existimabatur<sup>2)</sup>, Pisan-der, suadentibus Phrynicho et Theramene<sup>3)</sup>, leges tulit, quibus populus quum promissorum fallacia deceptus, tum factorum violentia perterritus libertatem sibi suis ipsorum suffragiis eripi passus est. Oportere enim, ut et aerario parceretur essetque magistratus, qui nulla re impeditus bellum conficere posset; ergo et magistratuum omnium condicionem mutandam esse, neque praeter milites cuiquam mercedem de publico dandam: novum senatum, alia comitia instituenda, quae mercede non indigerent. Novo autem senatui plenam omnium rerum

---

vix dubito, quin Lysias (qui tum absens fuit) quinque primorum electionem in ceteros transtulerit. Certe verba ad solam senatus institutionem pertinent.

<sup>1)</sup> Ita enim interpretor Thucydidis verbum *ξυνέκλησαν* cf. c. 65 et 69. Ac ne tuto quidem sine praesidio extra urbem concionari poterant.

<sup>2)</sup> Isocr. Areop. 24. *συνέδρους ἢ συγγραφέας, δι' ὧν ὁ δῆμος κατελύθη τὸ πρότερον.* cf. quos Hermannus laudat Staatsalt. §. 132.2. et Krüger l. l. p. 375 n. 57.

<sup>3)</sup> v. praetor Thucydidem Lys. c. Erat. §. 65. Decemvirorum consilio rem gestam esse (Schoem. l. l.) Thucydidem negat.

potestatem decreverunt<sup>1)</sup>; quo facto quum nullis comitiis opus esset, tamen simulaverunt, summam rerum penes quinque civium millia fore<sup>2)</sup>: convocatum iri, quando senatui e re videretur. Conscribenda eorum nomina certis viris mandavisse dicuntur, qui *καταλογεῖς* vocantur, quos ab illis triginta viris non diversos fuisse, sunt qui tradant<sup>3)</sup>. Sed non crediderim, quum Polystratus *καταλογεὺς* fuerit, *συγγραφεὺς* non fuerit<sup>4)</sup>. Ii vel omnes vel partim etiam post quadringentorum dominationem rescissam in magistratu manserunt: Polystratus enim novem civium millia in tabulas retulisse dicitur, a quadringentis autem nulla unquam nomina in publi-

<sup>1)</sup> ἄρχειν ὅπῃ ἂν ἄριζα γινώσκουσιν αὐτοκράτορας Thuc. cf. Schol. MS. Bekk. ad Aesch. de falsa leg. §. 51. οἱ περὶ Πειλοανδρον τὸν Ἀχαρτεῖα δημαγωγὸν ἐπεισαν τὸν δῆμον, ἐπεὶ δεῖται τὰ πρᾶγματα σπουδῆς καὶ ἐπινοίας ταχέως, ποιήσασθαι κηρούς ἀπάντων τετρακοσίους et Diodor XIII. 34. 36.

<sup>2)</sup> Inde explicandum est, quod Plutarchus dicit V. Alc. 26. οἱ εἰ λεγόμενοι ἢ δὲ ὄντες et Lys. pro Polystr. §. 13. ὑμῶν ψηφισαμένων πεντακισχιλοῖς παραδοῦναι τὰ πρᾶγματα cf. §. 16.

<sup>3)</sup> Lex. Seguer. p. 190. καταλογεὺς ὁ ἐπιλεγόμενος τοὺς μέλλοντας ἄρχειν. cf. p. 270. p. 301. συγγραφεῖς οἱ ἡρημένοι παρὰ τῆς πόλεως ἄνδρες, ἵνα συγγράψωσι τοὺς μεθέξοντας τῆς τῶν ὑ ἀρχῆς (i. e. τοὺς πεντακισχιλοῖς. Xen. Hell. II, 3. 18. καταλέγουσι γὰρ τοὺς μεθέξοντας δὴ τῶν πραγμάτων) οἱ δ' αὐτοὶ ἐκαλοῦντο καὶ καταλογεῖς. Phot. p. 103. καταλογεῖς Ἀθηνησοὶ τινες ἦσαν κατάλογον διδόντες τῶν ὀνομάτων τῶν τὰ κοινὰ διοικεῖν δυναμένων πρᾶγματα· οἱ αὐτοὶ δὲ καὶ συγγραφεῖς ἐκαλοῦντο ὅτι ἐνέγραφόν τινας οὓς χρὴ μετέχειν τῆς πολιτείας. p. 403. συγγραφῆς ἄνδρες ἤρουντο, ἵνα συγγράψωσι τοὺς μεθέξοντας τῆς τῶν ὑ ἀρχῆς καὶ τῆς τῶν λ' ἐκαλοῦντο δὲ οἱ αὐτοὶ καὶ καταλογεῖς. Suid. s. v. καταλογεὺς eadem corrupta exhibet. Et. M. p. 495. 9. et 732, 44. a Photio non differt. Nihil obstande videtur, quominus hi καταλογεῖς etiam συγγραφεῖς vocati sint, quamquam a superioribus illis συγγραφεῦσι diversi.

<sup>4)</sup> Nam si fuisset, fieri non poterat, quin hoc potissimum crimini ei verterent: sed tum in defensione quamvis manca praeteriri non poterat.



cum prolata esse scimus: neque vero intra nonum diem tantum opus absolvere potuit<sup>1)</sup>.

Novi senatus compositio neque sorti neque vero populi suffragiis deferri tuto potuit, quare novo modo instituta est. Quinque enim praesidibus electis, his primos centum viros legendos permiserunt, quorum deinde singuli ternos sibi collegas cooptarent. A tribulibus igitur solos praesides eligi potuisse, jam supra monuimus, si quidem major Thucydidi quam oratori ad solam rei defensionem intento<sup>2)</sup> fides habenda est. Quod si singulos praesides a binis tribubus eligendos curaverunt, et majorem populo libertatis speciem reliquerunt, neque tamen ipsi quidquam periclitati sunt, imo melius electionem per tribus dirigere poterant, quam si universo populo idem permisissent, ubi quid singuli sentirent, vix intelligi posset; et ipsorum praesidium si quis novis rebus minus faveret, a non idoneis viris legendis facile deterreri poterat. Ut hoc fuit, certum est, in novo quadringentorum senatu et factionis longe maximam auctoritatem et bonorum virorum haud ita parvum numerum fuisse. Callido enim consilio operam dabant, ut quam plurimos viros vel invites eidem secum culpae

---

<sup>1)</sup> cf. §. 13. 14. Thuc. VIII. 92. extr. Polystratus enim quum post recuperatam libertatem rationes daret (§. 22.) absolutus esse videtur, deinde, puta post V millium rempublicam abrogatam (νῦν δὲ ἤντικα αὐτὸς ἐαντῷ εὐνοῦσιατὸς ἐστὶν ὁ δῆμος §. 17) redintegrato iudicio absens damnatus (§. 18), redux restitutionem petit, ne propter multae magnitudinem, quam solvere nequit, infamia afficiatur. §. 19. Sed ea ita profero, ut probabiliorem aliquam rationem expectem. Nam multa offendunt in hac oratione, in quibus explicandis viri docti adhuc frustra laboraverunt. Sieversius (Commentat. n. 90) non vidit, Polystratum demum post finitum CDvirorum dominatum Euboea rediisse (§. 14); et ne tum quidem tabulae τῶν πεντακισχιλίων suppeditabant. Thuc. VIII. 97. Ceterum offendo in verbis τῶν δημοτῶν §. 13. v. Sturz lex Xenoph. s. v. δημοτής.

<sup>2)</sup> Lys. pro Polystrato §. 2.

implicarent: scilicet eos, quos semel multitudo factionis socios esse sibi persuasisset, postea ipso propriae securitatis respectu coactos fore, qui omni studio rem suam adjuvarent: repugnantes quoque tempore facile opprimi posse<sup>1)</sup>. Nam nulla causa est, cur suspecta habeamus, quae in oratione illa pro Polystrato habita Lysias narrat: multos inter quadringentos rebus novis non favisse, quorum alios metu repressos tacuisse, alios temeritatis suae poenas dedisse (§. 8.).

Senatorum nomina nonnulla ad nos pervenerunt, plurima ignota manent, alia in dubio posita sunt: quae conjectura reperturus cave ne Lysiae loco<sup>2)</sup> multum tribuas, ubi et ipsos triginta viros et eorum senatum inter quadringentos fuisse tradit: quod quum ipsa numerorum ratione refutetur siquidem XXX viri solitum senatorum numerum retinuerunt, tum verba quae addidit τῶν γενγόντων falsum esse probant; Theramenes enim et inter triginta fuit, et a ceterorum fuga immunis. Itaque rem ab oratore auctam esse constat, quantum a veritate re-

---

<sup>1)</sup> Erant enim moderati nonnulli, quos non dominandi lubido, sed patriae communis amor, ne penitus deleteret civitas, si quid suo consilio efficere possent, ad imperii societatem invitavit. Taylor V. Lys. p. 116 R. Hoc antea bonos viros cum iis conjungere potuit, nunc recusantes muletis ad societatem coactos esse, Polystrati exemplum docet §. 14. Huc pertinent Φρονιζον παλατοματα (etsi non ad solos senatores) ut recte monuit Krüger. ad Dionys. H. hist. p. 373. Scilicet proverbium vel e celeberrimi saltatonis agilitate vel ex Antaeo Phrynichi fabula natum poeta (Aristoph. Ran. 701) faceto joco ad praetoris machinationes transtulit. Rem illustrat XXXvirorum agendi ratio, de qua v. Scheibe p. 71.

<sup>2)</sup> c. Agorat. 74. οἱ λ' καὶ ἡ βουλὴ ἢ ἐπὶ τῶν λ' βουλευούσα οἱ πάντες ἦσαν τῶν τετρακοσίων τῶν γενγόντων. cf. §. 20. οἱ γὰρ πολλοὶ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς τὴν ὑστέρην βουλὴν τὴν ἐπὶ τῶν λ' ἔβουλεον. At tum exules nondum revocati erant. Si cum Sievers. p. 47. XXXvirorum senatum multo minore numero fuisse sumis, cui ego non repugno, alterum argumentum manet.

cesserit nescimus: in quadringentorum autem numerum nisi alio testimonio accedente neminem licebit inferre. Sed quos in ea factione maxime insignes conspicimus, eos fere omnes e pernicioza sophistarum et rhetorum disciplina profectos videmus. Sic consilio totam rem a principio Antipho moderatus est (Thuc. VIII. 68.), Sophili f. Rhamnusus, sophista celeberrimus, tanta prudentia, ut Nestor appellaretur <sup>1)</sup>. Quum a forensibus contentionibus abhorreret, et propter eximiam dicendi vim, qua in iudiciis absens dominaretur, frequenter a comicis poetis, quod questui artem haberet, lacessitus <sup>2)</sup>, multitudini dudum suspectus esset (Plut. V. Nic. 6.), jam senex ad factionem accessit, et summam in ea sustentanda industriam posuit. — Pisandro deinde et Charicli dicendi artem incrementa attulisse, jam vidimus. Idem tirocinium Phrynichus posuit, Stratonidae f., Diradiota <sup>3)</sup>. Nam si Lysiae <sup>4)</sup> fides habenda est, postquam pueritiam in agris inter pecora degit, in urbe delationibus egestatem propulsavit. Tamen non solis criminationibus et concionibus, ut Pisander, inclaruit, sed in praetura ita se gessit, ut summae prudentiae laudem reportaret et patriae amantissimus esse videtur <sup>5)</sup>, sed propriae securitatis cura eum postea ad proditionem adegit. Nam quum Alcibiadis ingenium melius, quam ceteri cognovisset collegarum consilia malum exitum habitura esse sensit, et a principio Alcibiadis artibus se opposuit. Neglectus ab illis et Alcibiadis iram ti-

<sup>1)</sup> γενόμενος ἀγχιόνους διὸ καὶ Νέστωρ ἐπεκαλεῖτο. Plut. X. Or. p. 309 R.

<sup>2)</sup> Ibid. p. 312. Philostr. p. 499. Aristoph. Vesp. 1270. et laudatus a Meinekio Gramm. ap. Eudoc. p. 159. καθάπτεται δ' ἢ κωμῶδια τοῦ Ἀντιφῶντος ὡς δεινοῦ τὰ δικανικὰ καὶ λόγους κατὰ τοῦ δικαίου συγκειμένους ἀποδομένον πολλῶν χρημάτων.

<sup>3)</sup> Sch. Lysistr. 313. Plut. V. Alcib. 25.

<sup>4)</sup> p. Polystr. §. 11. cf. affect. tyr. §. 9.

<sup>5)</sup> Thuc. VIII. 25—27; sequentia v. ib. c. 48—51. 68.

mens, hunc quovis modo perdere instituit, sed proditus ab Astyocho egregio invento impunitatem sibi paravit. Postquam Alcibiades ad contrarias partes accessit, ipse, etsi Pisandri calumniis imperio privatus, conjuratorum consilia summo opere adjuvit, ad servandam factionis rem nullo labori pepercit, nullum fugit periculum, postremo patriam prodidit. Nam instaurata populari republicae forma, reduce Alcibiade, certum sibi exitium instare videbat.

Porro ex intima sophistarum consuetudine Thermenēs venit, Hagnonis filius adoptivus <sup>1)</sup>, Gorgiae <sup>2)</sup> et Prodicī <sup>3)</sup> discipulus, praeceptor Isocratis <sup>4)</sup>, qui ingenio eloquentia nobilitate generis nemini secundus, cauta et circumspecta agendi ratione omnibus praestitit.

Aristoteles qui inter triginta viros postea fuit, orationes judiciales eleganter scriptas edidit <sup>5)</sup>: sophistarum consuetudine usum e Platonis Parmenide <sup>6)</sup> scimus; qui cum eo nominatur Pythodorus, Isolochi f., Zenonis disciplina usus <sup>7)</sup>, num inter quadringentos fuerit nescimus, nam Pythodorus Polyzeli f. <sup>8)</sup> cur idem putandus sit, nullam causam video.

<sup>1)</sup> Plut. Nic. 2. Schol. Ran. 546. 1001. Verene an falso e Ceo insula oriundus dicatur, parum refert; Critiae est: *τιμώμενος ὑπὸ τοῦ δήμου κατὰ τὸν πατέρα Ἄγνωνα*. Xen. Hell. II. 3, 30

<sup>2)</sup> Vita Isocratis a Mustoxyde edita.

<sup>3)</sup> Schol. Nub. 360. Athen. V. 62. Suid. s. v. *Θηραμένης*.

<sup>4)</sup> Dionys. Hal. de Isocr. I. Vita Isocr. Plut. X. Orat. p. 836. R. Sch. Ran. 546.

<sup>5)</sup> Diog. L. V. §. 35. fort. Charmidæ pater. Andoc. Myst. 47.

<sup>6)</sup> p. 127. 137. Eundem esse non constat quidem, sed vix dubium videtur.

<sup>7)</sup> Plat. Alcib. I. p. 119. Praetor in Siciliam missus rem male gerit. Thuc. III. 115, ab irato de foedere concluso populo cum Sophocle collega exilio mulctatur IV. 65; iterum exercitui praest Ol. 91, 3. Thuc. VI. 105.

<sup>8)</sup> Qui Protagoram accusavit, *εἰς τῶν τετρακοσίων*. Diog. L. IX. 54. Eundem fuisse affirmat Th. Bergk. Comment p. 100.

Andron, Androtionis f., Hippiam audivit<sup>1)</sup>, Laespodias causis dicendis et bello gerendo deditus fuisse dicitur, etsi crurum vitio deformis<sup>2)</sup>.

Aristophontem Demonstrati oratoris filium fuisse conjicias<sup>3)</sup>: atque haud scio an inter ejusdem generis homines Archeptolemum referam, Hippodami filium<sup>4)</sup>, Agrylensem, quem Aristophanes invidia emori dicat, quum Cleonem in spoliandis peregrinis primas agere videat. Magnam ei ejusque sociis in constituendo paucorum dominatu partem tribuit, qui Antiphontis Vitam conscripsit<sup>5)</sup>. Antiphontis et Theramenis amicum dicit Lysias c. Erat. §. 67.

Melanthius num gulosus ille tragoediarum scriptor fuerit<sup>6)</sup>, in medio relinquimus. Illustri loco nati admodum pauci inter eos commemorantur: praeter Theramenem Melesias, quem cum Sieversio<sup>7)</sup> pro Thucydidis filio illo habuerim, luctandi peritissimo, cetera nequam; Aristocrates Scelliae f., quem cum Nicia et Periclis gente componit Plato<sup>8)</sup>, et Callaeschus<sup>9)</sup>, Critiae pater, nisi alius aliquis fuit. Nam ipsum Cri-

1) Harpocrat. s. v. Plat. Gorg. p. 487. Protag. p. 315.

2) Praetor cum Pythodoro et Demareto Thuc. VI. 105. cf. Th. Bergk. Commentt. p. 347. 348. Meineke fr. com. II. p. 475. Antiphontis in eum oratio exstitit, in qua Galepsi et Oesymae, Thraciae urbium mentio fieret. Harpocrat. s. v. Γαλ. et Ολοῦμη.

3) e Xenoph. Hell. VI. 3, 2. Δημοκρατος Ἀριστοφῶντος.

4) Aristoph. Eq. 327, quamquam de verborum sententia controversia est. Cleonis adversarium aliquando pacem suasisse, non est quod mireris (v. 794). cf. Plut. X. Orator. p. 833.

5) πολλὰ δυνηθεὶς μετέβαλε τὴν δημοκρατίαν καὶ ἐποίησε τοὺς τετρακοσίους μετὰ τῶν περὶ Ἀρχεπτόλεμον.

6) de quo v. Bergk. l. l. p. 108. 340.

7) Comment. n. 83. Plat. Menon p. 94.

8) Gorg. p. 472. cf. Sievers. l. l. p. 30.

9) Lys. c. Erat. 66.

tiam inter quadringentos fuisse, soli Demostheni vel Dinarcho <sup>1)</sup> non crediderim. Inter vehementissimos enim et Theramenis sectae oppositos censetur, qui paulo post et Phrynichum mortuum insectatus est, et Alcibiadis revocandi auctor fuit. Quod si utrumque verum esse posse concedimus, nonne Theramenes quae Critias ipsi de partibus in republica tam celeriter permutatis objiceret, multo meliore jure in ipsum Critiam retorquere debebat? Mihi vero Theramenis contra cum oratio omnem dubitationem eximit quin post finitam quadringentorum dominationem Critias ad rem publicam gerendam accesserit.

De ceterorum ingenio et moribus parum traditum est. Aristarchus acer jam pridem rei popularis adversarius fuerat <sup>2)</sup>; Onomacles <sup>3)</sup> et Charminus praetores ad conjurationem accesserunt, trierarchus Eratosthenes, cum Iatrocle <sup>4)</sup>, Alexicles Pisandri sodalis fuit <sup>5)</sup>. De Diotrephe supra commemorato nihil amplius comperimus.

Factio igitur a populo, cui multo major numero esse videretur, quam erat, ut de jure suo decederet impetraverat: omnia legitimo modo transacta erant, tamen ipsi viribus suis parum confisi magnopere timebant ne subito multitudo ab inani sua formidine resipisceret et duces nacta novos dominos opprimeret. Itaque in ipsa imperii occupatione summa cautione usi sunt. Athenienses enim propter hostium vicinitatem continuo om-

---

<sup>1)</sup> Or. c. Theocr. p. 1343.

<sup>2)</sup> ἀνὴρ ἐν τοῖς μάλιστα καὶ ἐκ πλείστον ἐναντὶος τῷ δήμῳ. Thuc. VIII. 90. v. Th. Bergk. l. l. p. 342.

<sup>3)</sup> Onomacles inter XXX fuit, a quadringentis legatus Spartam missus v. Plutarch. X. Or. p. 833.

<sup>4)</sup> Lys. c. Erat. 42.

<sup>5)</sup> Thuc. VIII. 98. Eucratem, Niciae fratrem, a CD ad imperii societatem vocatum esse, non recte e Lys. c. Poliarch. 4 concludit Büttner. p. 67.

nes in armis erant, partim in muris dispositi, alii in acie, unde statis temporibus dimitterentur. Ceteris igitur, quo die curiam occupaturi erant, pransum puta, dimissis sodales et sociorum milites, quos secum Pisander advexerat, et cleruchos Aegineticos ad hoc ipsum arcesitos prope ab armis manere jusserunt, ut praesto essent, sicubi tumultus exoriretur: ipsi cultellis occultis instructi et centum et viginti illorum satellitum <sup>1)</sup> praesidio stipati curiam invaserunt. Sed vetus senatus sponte loco cessit neque fortasse non libenter ea temporum conditione aliis rerum curam tradidit, quam reliquam annuae mercedis partem persolutam acciperet. Etiam a ceteris civibus nihil motum est.

Senaculo potiti primum ab antiqua consuetudine recedere non ausi sunt: Prytanes sortiti preces et sacra solito more fecerunt: ubi populum quietum manere viderunt, tum demum potentia uti tutum visum. Nam foris nihil sibi timendum esse putaverunt, quum sociorum urbes eidem paucorum dominationi subdidissent, et Sami hoc ipso tempore factionem Charmino duce rerum potitam putarent.

Etiam classis et exercitus praefecti plurimi novis rebus favere videbantur (Thuc. VIII. 63) sed classici, vulgus libertatis amantissimum et novo rerum ordine a republica administranda exclusum, ne resistendi auctores fierent jure metuerunt. Nihil igitur antiquius habuerunt, quam ut illo oratores mitterent <sup>2)</sup> qui militibus bona verba darent. Simul alios legatos de pace et foedere acturos Deceleam ad Agidem miserunt, qui

---

<sup>1)</sup> οἱ Ἕλληνες νεανίσκοι Thuc. VIII. 69. quos non solum servis publicis verum etiam Atheniensium juventuti opponi arbitrator adolescentes e sociorum urbibus accitos, quorum fides in urbe peregrina multo tutior esset. cf. Critiae νεανίσκους Xen. Hell. II. 3, 23.

<sup>2)</sup> εὐθὺς μετὰ τὴν ἐπιπέδου κατὰ τὴν Thuc. VIII, 72.

postquam urbem subito impetu facto capere non potuit, alteram legationem benigne excepit et Lacedaemonem ire jussit<sup>1)</sup>. Interea domi confidentius grassati popularia instituta plurima sustulerunt: judiciorum ordinem in primis mutatum esse, consentaneum est<sup>2)</sup>, et plurimos magistratus idoneis hominibus datos<sup>3)</sup>, sed novos archontes suffectos non cum Wachsmuthio crediderim, quum et Callias in magistratu mansisse videatur, neque Theopompus cum quadringentis loco motus: a judiciorum praesidio remotis perexigua manebat auctoritas. Singulos deinde homines a quibus metuerent<sup>4)</sup> et ex ipso senatorum numero qui decreta vituperare conarentur interfecerunt, sed non multos, ne nimis invisae multitudini fierent, alios in vincula conjecerunt, exilio alios affecerunt. Sed quum omnia ad arbitrium facerent<sup>5)</sup>, exules revocare non ausi sunt, ne de Alcibiade revocando admoniti promissorum fallaciae palam arguerentur. Quinque millia neque convocaverunt et convocatum iri simulantes vana spe populum deceperunt. Liberis philosophorum disputationibus non magis quam triginta delectati esse videntur, quamvis ipsi magnam partim eorum institutione eruditi essent: nam sicut postea Critias et Charicles artem oratoriam doceri vetuerunt et omni disputatione Socrati interdixerunt<sup>6)</sup>, ita tum Protagoras Pythodoro

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 70. 71.

<sup>2)</sup> Ad senatum translata vide ap. Andocid. de Red. §. 13—15.

<sup>3)</sup> Lys. p. Pol. 8. 9. τούτους ἂν καθίστασαν. cf. Thuc. VIII. 89. τῶν πάντων στρατηγῶν τῶν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ καὶ ἐν ἀρχαῖς ὄντων.

<sup>4)</sup> οὗ ἐδοκουν ἐπιτήδευοι εἶναι ὑπεξαιρεθῆναι Thuc. VIII. 70. praeter eum cf. Lys. l. l. §. 8. 9. unde apparet, senatum secreto deliberasse.

<sup>5)</sup> ἔνεμον κατὰ κράτος τὴν πόλιν Thuc. 70. de VM. c. 92.

<sup>6)</sup> Xen. M. S. I. 2, 31 seq. De Protagora v. Diog. L. IX. 52. 54. Quod nisi eo tempore accidisset, scribere debebat: ὁ τῶν ἡγεμόμενος.



Polyzeli filio accusatore exilio affectus est, libri per praeconem conquisiti et in publico combusti.

Haec agentibus Paralus navis supervenit, et Sami populum vicisse, perditam rem paucorum nunciavit. Subito terrore perculsi calidiorē quam prudentiorē consilio Paralorum duos vel tres in vincula conjecerunt, ceteros onerariae navi impositos Euboeam custodire jusserunt <sup>1)</sup>,

Apud Samum eo tempore merebatur quod roboris Atheniensium erat, ut nuncio rerum domi gestarum allato suo jure exercitus urbem a se defecisse diceret <sup>2)</sup>, non se ab urbe. Igitur hic optimates in veras difficultates incurrebant, hic in discrimine res versabatur. Exercitui non Probuli praeerant, timidi senes, non senatus e populi multitudine sorte ductus, hic non vulgus imprudens et credulum erat decipiendum, quod caeco pavore incusso ne hiscere quidem auderet, verum juvenes continuo armorum usu confidentes, sed viri populi suffragiis ad bellum gerendum electi. Nam quum pars praetorum, navium praefecti plerique inter conjuratos essent, ipsorum imprudentia Phrynicho et Scironidi Leon et Diomedon suffecti sunt, strenui viri qui auctoritate bello gerendo parta in populari statu frui quam imperiosae paucorum hominum dominationi parere malent <sup>3)</sup>. Ii accepto imperio statim rebus fortiter gerendis et victoria Rhodi reportata militum voluntatem sibi conciliaverant et paucorum incepta quacunquē ratione poterant impediēbant. Et oratores quidem sola dicendi

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 77. *σρατιῶντις ναῦς* qualis sit docet Sintenis ad Plut. Per p. 184.

<sup>2)</sup> *ὡς οὐ δεῖ ἀθνημεῖν ὅτι ἡ πόλις σφῶν ἀφέστηκεν* c. 76.

<sup>3)</sup> *οἷτοι γὰρ οὐχ ἐκόντες διὰ τὸ τιμᾶσθαι ὑπὸ τοῦ δήμου ἔφερον τὴν ὀλιγοκρατίαν.* c. 73. cf. c. 55, Leontem nobili stirpe oriundum fuisse, probabile reddidit Sievers l. l. n. 70. Diomedon teste Diodoro XIII. 102. erat ἀνὴρ δικαιοσύνη τε καὶ ἄλλαις ἀρεταῖς δοκῶν διαφέρειν.

vi pollentes in magna urbe facile e medio tolli poterant: duces fidelibus militibus septos interficere non aequè in promptu erat et metus ab hostibus fieri vetuit. Deinde quum in urbe nemo haberet quem fidum sibi socium fore speraret, milites contuberniis arctissime inter se conjuncti optimatum sodalitiis non minus firmo consilio sese opposuerunt. Et quum inde a primis verbis de mutando statu factis multos fuisse oporteat, quibus minime volentibus ea agerentur, tum praetenta foederis Persici expectatione pacati sunt<sup>1)</sup>: post dissensionem inter Alcibiadem et optimates exortam, quae eos latere non poterat, sola hostium propinquitate a tumultu retinebantur. Sed conjurati, ut jam vidimus, et viribus suis satis confidebant et animo ad extrema quaeque experienda confirmati rem semel motam perficiendam strenue aggressi sunt. Pisander igitur antequam iterum Athenas profectus est, populi Samii ad trecentos ad occupandam dominationem excitavit, rem incohatam Charmino conficiendam tradidit. Eadem ratione, qua Athenis sodales feliciter egerant, Samios quoque consilii inopes sibi que diffidentes reddendos censuerunt: ut illi Androblem, ita ipsi Hyperbolum<sup>2)</sup> interfecerunt, ignobilem et contemptum hominem, qui ab Atheniensibus ejectus in recenti Samiorum republica invenisse videtur, qui clamores suos libenter audirent, aliisque ejusmodi facinoribus terrorem multitudini incusserunt. Neque fortasse Samiorum trecenti, praetoris Atheniensis auctoritate agentes, minus bona fortuna usi essent, quam Athenis quadringentorum factio, nisi Samii invenissent

---

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 48. ὁ μὲν ὄχλος εἰ καὶ τι παρὰ τὴν ἡλικίαν ἤχθετο τοῖς πρῶτοις ἀποστολέοις διὰ τὸ εὐπορον τῆς ἡλικίας τοῦ παρὰ βασιλέως μισθοῦ ἡσυχάζειν. De sequentibus v. Thuc. VIII. 73—86. Trecentos Sami aliquamdiu imperium exercuisse, non recte dicit Vater l. l. p. 32.

<sup>2)</sup> De eo v. Meinek. hist. crit. com. gr. p. 188—195.

cui metus suos communicarent. Leon autem et Diomedon, Thrasybulus praeterea Lyci filius Stiriensis, trierarchus, Thrasyulus gravis armaturae miles<sup>1)</sup> et alii populares viri ab anxio Samiorum populo de instante periculo certiores facti, veriti ne Sami ruina Atheniensium res penitus perderentur, paucorum conatibus impigre obviam ierunt: singulos milites, Paralos praesertim, acres libertatis propugnatores, ad tuendos socios adhortati. Leon et Diomedon, quum ipsis alio navigandum esset, navium aliquot praesidium Samiis relinquebant. Ita factum est, ut trecenti illi, quum vi rerum potiri conarentur, facile a populo vincerentur, quum ceteris illis, tum Parali navis classicis, liberis omnibus et Atheniensibus, strenue opem ferentibus. Superatis civibus Samii clementer usi sunt, Paralus navis duce Chaerea Arcestrati filio<sup>2)</sup> cum laeto nuncio Athenas quam citissime vela dedit. Ibi mutata omnia invenerunt, ipsi quadringentis iratis poenas dederunt, Chaereas autem meliore fortuna usus feliciter evasit et Samum reversus factionis facinora in majus aucta falsis multis calumniis adjectis classi renunciat. His auditis classici in tantum furorem contra duces novarum rerum suspectos exarserunt, ut gravissimum tumultum Thrasybulus et Thrasyulus aegre cohiberent, sed iidem factioni apud classem certe omnem dominationis spem eripere decreverunt. Itaque solenni jurejurando omnes et Athenienses et Samios obstrinxerunt ad tuendam libertatem, servandam concordiam exercitus, hostes acriter debellandos: quadringentos hostium loco habituros<sup>3)</sup>. Deinde cum populo Samio arctissimam societatem inierunt: quin

---

1) cf. F. Hase, Lucubratt. Thuc. p. 34.

2) *ἄνδρα Ἀθηναίων γεγόμενον ἐς τὴν μετὰ τῶν προθύμων.* Thuc. 8. 74. Diversum putaverim a Chaerea ab Eupolide ut peregrino irriso. v. Sch. Aristoph. Vesp. 687.

3) *πολέμοι τ' ἔσεσθαι καὶ οὐδὲν ἐπικηρυκείεσθαι.*

urbe sua privatis jam Samum pro patria futuram ajebant, civitatem Athenis vix minorem. Neque vero injuria exercitus se pro vero Atheniensium populo gerebat, quum in urbe majorum instituta eversa essent, neque enim oppidum rempublicam efficere ajebant sed viros, patrum exemplum secuti, qui Persis urbe relicta naves sibi alteram patriam fecerant. Ergo continuo novis populi comitiis habitis praetores <sup>1)</sup> et navium praefectos, si quis cum factione stare videbatur, ab imperio removerunt, et populares viros in eorum locum suffecerunt Thrasybulum Thrasyulum alios <sup>2)</sup>, potestatem tributa sociorum et colligendi et administrandi sibi arrogaverunt, Alcibiadem denique sibi potius quam factioni subsidia a Persis conciliaturum esse asseruerunt, si reditum ei forent permissuri.

Interea in ea classis parte, quam Strombichides ad Hellespontum abduxerat, eadem optimatum artes omni effectu caruerunt; Eratosthenes trierarchus, quum milites frustra sollicitavisset, navi turpiter relicta cum sodalibus fuga salutem quaesivit et ad urbanam factionem accessit <sup>3)</sup>. Strombichides Samum reversus classi tantas vires addidit, ut proelium quod modo declinavissent Lacedaemoniis ultro offerrent: ii in aciem prodiere non ausi sunt <sup>4)</sup>.

Sed quum bellum nihilominus aequis utrinque viri-

---

<sup>1)</sup> τοὺς προτέρους στρατηγοὺς c. 76. Sed Leontem et Diomedontem imperio privatos esse mirum videtur. In castris etiam C. Marius Consul legem tributim tulit. Liv. VII. 16.

<sup>2)</sup> fort. Chaeream v. Krüger l. l. p. 379.

<sup>3)</sup> ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν τετρακοσίων ἐν τῷ στρατοπέδῳ ὀλιγαρχίαν καθιςὺς ἔφενγεν ἐξ Ἑλλησπόντου τριήραρχος καταλιπὼν τὴν ναῦν, μετὰ Ἰατροκλέους καὶ ἑτέρων, ὧν τὰ ὀνόματα οὐδὲν δέομαι λέγειν. ἀφικόμενος δὲ δεῦρο τὰναντία τοῖς βουλομένοις δημοκρατίαν εἶναι ἔπρατιεν Lys. c. Eratosth. 42. At postea cum Theramene stetit. §. 62. seq.

<sup>4)</sup> Thuc. VIII. c. 63. 78. 79.

bus traheretur, Lacedaemoniis a Pharnabazo larga pecunia adjutis, Thrasybulus, qui a privati honoris studio procul aberat, tandem effecit ut posita ira exercitus Alcibiadem revocaret, revocatum ipse navi Samum advexit. Is concione habita, fortunae iniquitatem conquestus, suam apud Tissaphernem auctoritatem ostendebat, amicissimum ejus erga Athenienses animum plurimis verbis praedicabat, naves Punicas Aspendum vocatas, Atheniensibus subsidio venturas vel certe Lacedaemoniis non subventuras pollicitus est. Quae quum plurima falsa gloriaretur<sup>1)</sup>, effecit ut et quadringentis occupatae Persici foederis gratia dominationis speciem eriperet suique metum injiceret, et Lacedaemoniis Tissaphernem quam maxime suspectum redderet, denique ut suam ipsius auctoritatem firmaret et veterum malefactorum memoriam obliteraret, magnorum successuum spe facta. Nam mobilis et inconstans multitudo tantam ejus verbis fidem adhibuit, ut non solum praetorem eum constituerent et plena omnium rerum potestate munirent, verum etiam contemptis hostibus urbem impetu facto opprimere vellent, quod cum magno reipublicae bono Alcibiades prohibuit. Deinde Tissaphernem territavit, novam dignitatem ostentare, monere ne in utrorumque odia incurreret, roganti concederet, quae negata armis extorqueri possent. Inde Samum reversus rempublicam ab interitu vindicavit. Nam quadringentorum decem legati, qui accepto in itinere rerum Sami gestarum nuncio Deli nova senatus mandata expectaverant, jam ad exercitum pervenerunt<sup>2)</sup>. Irati milites vix a vi sibi temperaverunt, aegre impetratum ut mandata audirentur. Legati operam dederunt, ut Chaereae narrationes refelle-

---

<sup>1)</sup> *ἐπικομπῶν* Thuc. 81. Sed ipse Tissaphernes tale quid jactavisse potest, ὃν οὐχ ἀπλοῦς, ἀλλὰ κατοήθης καὶ φιλοπόνητος, idem ὁμός καὶ μισέλλην. Plut. Alcib. c. 24.

<sup>2)</sup> Thuc. VIII. 72. 77. 86.

rent: summam rerum non penes quadringentos solos esse, sed quinque millibus traditam, inter quos ex ordine omnes receptum iri; a patriae proditione omnes aequae abhorreere, Agidis impetum conjunctis omnium viribus repulsum esse, cognatis et amicis domi relictis nullam vim factam. Sed eorum verba nullam fidem habuerunt, imo seditiosae urbis oppugnationi tantis clamoribus flagitata est, ut praeter unum Alcibiadem nemo furentem multitudinem pacare posset <sup>1)</sup>. Is clara Thrasybuli voce adjutus tandem pervicit, ut civili bello abstinerent et respondendi legatis potestatem sibi permitterent. Prudenti consilio in solos rerum auctores iram convertit et eorum causam a ceteris sejunxit: quinque millia quominus rempublicam gererent non impediturum, si quid minuendi sumptus publici causa mutatum esset laudare, sed quadringenti ut veteri senatui loco cederent postulare: ceterum utrosque ut bellum naviter gererent exhortatus est, ne discordia communem omnium patriam penitus perderent.

Eodem tempore Paralis contigit ut expositis Argos quadringentorum legatis imprudenter sibi creditis, cum Argivorum oratoribus Samum redirent. Argivi classi Atheniensium auxilium suum polliciti sunt <sup>2)</sup>. Ea Alcibiade duce feliciter rem gessit: nobis autem cum quadringentorum legatis Athenas proficiscendum est.

Quadringenti viri non quo eam civitatis formam alteri praestare judicarent, sed suam quisque cupiditatem expleturi coierant, nonnullos tamen, qui reipublicae ita optime consuli sibi persuaserant in dominationis societatem receperant. Itaque postquam primum communi

---

<sup>1)</sup> ἄλλος μὲν οὐδεὶς ἂν ἱκανὸς ἐγένετο κατασχεῖν τὸν ὄχλον. Thuc. Συνέπραπτε δ' αὐτῶ καὶ Θρασύβουλος ὁ Στειριεὺς ἅμα παρῶν καὶ κεκραγῶς ἦν γὰρ, ὡς λέγεται, μεγαλοφωνότατος Ἀθηναίων. Plut. Alc. c. 26.

<sup>2)</sup> De Argivis cf. Plut. Alcib. 15.

sententia cum Agide de pace egerunt et Samum oratores miserunt — nam acquo foedere facto urbi et sociis imperare nemo recusabat — quum deteriores pacis condiciones ferrentur et principes factionis in cives et in ipsos senatores imperiose dominarentur, eorum pravitate cognita multi transitionem ad plebem meditabantur<sup>1)</sup>: alii qui minus sibi quam expectavissent auctoritatis a factione concessum viderent, multitudinis favorem aucupabantur<sup>2)</sup>. Jam quum legati Samo redirent, quum appareret, sine Lacedaemoniorum auxilio paucorum rem stare non posse, Alcibiades ab exercitu revocatus esset, ipsa factio in duas partes discessit, quarum altera incepta quovis modo perficere vellet, etiamsi hostibus serviendum esset (c. 91 extr.), altera suam cum populi et patriae causa conjungeret. Huic Theramenes et Aristocrates praefuerunt, quorum hunc nemo vituperavit, de illo admodum diversa hominum judicia invenimus. Omnia apponere nihil attinet, meam qualemcunque sententiam breviter explicare liceat. Theramenem morum probitate et factorum honestate insignem fuisse, vix quisquam contendit, civem multis meliorem fuisse arbitror, prudentia plerisque antecelluisse constat. Nam quum ceteri optimates cupiditatibus et odio indulgentes nullum modum servarent, quum imperio potiti omnia periclitari quam licentiam ullis finibus circumscribere mallent, Theramenes paucorum imperium non solum

---

<sup>1)</sup> ἀχθόμενος καὶ πρότερον τοὺς πολλοὺς τῶν μετεχόντων τῆς ὀλιγαρχίας καὶ ἤδηως ἀν ἀπαλλαγέντας πῆ ἀσφαλῶς τοῦ πράγματος. Thuc. VIII. 89.

<sup>2)</sup> Hoc Therameni Lysias c. Erat. §. 66 objicit (nam codicum lectio *πρασιτέρως* quomodo defendi possit non video) dubiae fidei in propria causa auctor. Critias apud Xen. Hell. II. 3, 30. plane aliter: ἐπρώτερον ἐν ἐκείνοις ἐπεὶ δ' ἴσθητο ἀντιπαλὸν τι τῇ ὀλιγαρχίᾳ ξυρισάμενον κ. τ. λ. Thucydidis sententia dubia est, nam videtur quidem Theramenem vituperare, sed verba οἱ πολλοὶ αὐτῶν possunt Theramenis gratia apposita esse.

constituendum verum etiam conservandum et stabilien-  
dum sibi proposuerat, et privatis studiis publicam cau-  
sam numquam posthabuit. Gravissimum enim de eo  
habemus Aristotelis testimonium, quod tam leviter a  
Büttnero rejectum miror, a Plutarcho conservatum<sup>1)</sup>:  
tres viros de Atheniensibus optime meritos esse et pa-  
tria erga cives benivolentia, Thucydidem, Niciam, The-  
ramenem. Quos propterea composuisse et laudavisse  
videtur, quod populari licentiae inimici, ut rempublicam  
ad bene temperatam illam ab Aristotele commendatam  
formam adducerent operam dederunt. Sed illi quum  
nihil nisi legitimo et justo modo agere vellent, parum  
contra populi vehementiam valuerunt, Theramenes in  
turbata et afflictata civitate inter ardentia partium studia  
alia agendi ratione opus esse vidit. Nam in ejusmodi  
tempestatibus bona causa fere vincitur nisi malis artibus  
sustentatur. Igitur quum mentem ipse numquam mutaret,  
temporum ratione coactus modo hac modo illa factione  
ad consilia sua perficienda usus est itaque quum propter  
insignem in agendo prudentiam et inter paucos et in  
populo primas partes ageret, vulgo inconstantiae argue-  
batur. Primo cum Antiphonte et Pisandro societatem  
inivit ad constituendum quadringentorum senatum, sed  
quum ab iis numquam se impetraturum videret, ut cum  
quinque millibus communicato imperio firmam potius  
et moderatam quam brevem et effrenatam potentiam  
exercere vellent, inutiles et frustra monitos socios de-  
servit et ab Aristocrate et militum robore adjutus<sup>2)</sup>  
tandem perfecit, ut ea reipublicae forma quam animo  
conceperat communi populi sententia constitueretur.

<sup>1)</sup> Vit. Nic. c. 2. πρώτων ἔτιςιν εἰπέειν, ὃ γέγραμμεν Ἀριστοτέλης,  
οἱ τρεῖς ἐγένοντο βέλτεροι τῶν πολιτῶν καὶ πατρικῆν ἔχοντες εὐνοίαν  
καὶ φιλικὴν πρὸς τὸν δῆμον, Νικίας ὁ Νικηράτου καὶ Θουκυδίδης ὁ  
Μιλησίου καὶ Θηραμένης ὁ Ἄγνωτος. Quae sequuntur, Plutarchi  
sunt. cf. Büttner l. l. p. 41.

<sup>2)</sup> cf. Aristot. Pol. V. 5, 6.



Ea ekato per secundam in bello gerendo fortunam plebis animo ab oratoribus popularibus ut videtur eversa est, quorum aliquamdiu repressus furor vetus in foro regnum novo quodam vigore denuo occupavit. Sed his qui civitatem ad certissimam perniciem adducerent Theramenes nullo modo cedere voluit et quum manifestum esset, permissa oratoribus popularibus re publica et pacis ante alterutrius civitatis interitum nullam spem esse et vires ad bellum gerendum mox defecturas, quum Alcibiadem ultimum patriae columen isti vel ipsi expulissent vel ab aliis pelli sivistent, tum vero Theramenes qui in mediis factionibus solus statum suum obtinere non posset, cum optimatibus iterum se conjunxit, quos prioris cladis exemplo monitos potentia prudentius usuros esse putaret. Jam vero quae usque ad belli finem acciderunt ita incerta sunt et obscura, ut hic praetermittere ea quam vanas opiniones proferre praestet, sed vulgatae de praetorum condemnatione et de Lysandro prodita urbe narrationi ut fidem negemus flagitare videtur ea qua Theramenem ad mortem usque usum videmus apud cives suos auctoritas. Post constitutos triginta omnium suffragiis optimum civem se praestitit neque vero a priore agendi ratione ullo modo descivit. Nam plane eadem quae septimo anno ante acciderant repetita videmus, easdem ejus cum sociis caeco impetu in perniciem ruentibus contentiones, neque dubito quin eundem res exitum habuisset, nisi prior Critias Theramenem oppressisset. Quod si hic victor iterum πολιτείαν Athenis constituisset, fortasse omnes eum, felicioris aevi conditorem, summis laudibus extollerent; quum succubisset nihil Athenienses ab instanti ruina vindicare potuit. Itaque quum in eo sint quae defendi posse desperes, id confidenter dicendum esse credo, eum nihil humiliter nihil turpiter egisse et quum nimio honoris et gloriae studio non nunquam abriperetur, tamen a vulgari ceterorum cupiditate et

avaritia<sup>1)</sup> longe fuisse remotum. Vivo contigit quod inter eos, qui in Atheniensium republica excellentius se gesserunt admodum pauci assecuti sunt, ut per totum vitae tempus in magno apud cives honore esset, eique soli paene omnes maxime confiderent, donec supplicium a crudeli et turpi tyranno in honestissima causa irrogatum fortiter passus est. Magnum sui desiderium civibus reliquit et memoria ejus apud posteros in tanto honore fuit, ut Ciceronem laudaturus Caesar Periclis eum et Theramenis simillimum esse diceret<sup>2)</sup>.

Sed ut ad illa redeamus, in senatu altera factio multo plus valebat neque consilia sua a quoquam impediti passa est. Praeerant ei Phrynichus, Aristarchus, Pisander, Antipho, Callaeschrus<sup>3)</sup>, quibus obloqui non tutum erat; Polystratus mulcta dicta ad jusjurandum senatorium adactus est, procaciores alios atrocius puniendo ceteros a resistendo deterruerunt<sup>4)</sup>. Quum prima illa legatione Spartam missa nihil profecissent, nunciata exercitus defectione Laespodiam Aristophontem et Mellesiam navi Paralis credita miserunt, quos Parali oppressos Argivis custodiendos tradiderunt: simul Eetioniam communire coeperunt<sup>5)</sup>. Quum legati Samo redirent, adversarii in senatu quidem nihil efficiebant, sed Theramenis et Aristocratis auspiciis in sodalitia coibant et quae impedire nondum poterant, vituperare ausi sunt: quinque millia ut convocarentur plures in dies et vehementius flagitabant. Illi contra nihil remittere, ipsi principes factionis, Antipho Phrynichus Archeptolemus Onomacles cum aliis octo Spartam pro-

<sup>1)</sup> XXX virorum avaritia nota est; de CD v. Lys. p. Pol. 17 ὡςπερ ἔτιοι ἠρατῶν καὶ ἑγερον.

<sup>2)</sup> Plut. Vit. Cic. 39. cf. Cic. Tusc. I. 42.

<sup>3)</sup> Thuc. VIII. 90. Lys. c. Eratosth. §. 66. Aristot. Pol. V: 5, 4.

<sup>4)</sup> Lys. pro Polystr. §. 14. 8—9.

<sup>5)</sup> Thuc. VIII. 86. cf. c. 90.

fecti sunt<sup>1)</sup>, castellum in ipsis Piraei faucibus situm magno studio adhibito muniebant: quod imprimis proditionis suspectos eos fecit, Theramene praecipue accusante. Intra munimenta granarii maximi partem receperunt et eo omne frumentum comportari jusserunt<sup>2)</sup>. Castellum autem ita comparatum erat ut tam mari quam terra hostes intromittere possent: specie ad arcendum classis Samiae hostilem impetum parabatur. Eam enim post irritam legationem hostium loco habebant et Andocidem, qui aes ligna frumentum ei supportasset, ut proditorem in vincula conjecerunt<sup>3)</sup>. Novi praetores vel tunc vel prius etiam suffecti sunt Theramenes Alexicles Melanthius Aristoteles Aristarchus, manserat in magistratu Aristocrates<sup>4)</sup>, de Charmino aliisque ducibus per milites imperio privatis nihil traditur.

Legati Lacedaemone infecta re reversi populi suspiciones auxerunt, nam privati aliquid cum hostibus pepigisse videbantur. Neque vero illis alia salutis spes erat, quum praesertim, in quibus maxime confisi essent, factiones ipsorum beneficio dominatione in sociorum

---

<sup>1)</sup> Quo itinere et Deceleam attigerunt et navi hostili vecti sunt. V. X. Orator. p. 314. R.

<sup>2)</sup> διωκοδόμησαν δὲ καὶ σοάν κ. τ. λ. Thuc. VIII. 90. cf. Ern. Curtii de Portibus Ath. Comm. p. 38. cf. Aristoph. Eq. 857: τὰς εἰσβολὰς τῶν ἀλφειῶν ἂν καταλάβοιεν ἡμῶν.

<sup>3)</sup> Andoc. de Red. §. 11—16 cf. Lys. c. Andocid. §. 27. Isocr. de big. 7. p. 351.

<sup>4)</sup> τῶν πάντων στρατηγῶν τῶν (vel στρατηγούντων) ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ καὶ ἐν ἀρχαῖς ὄντων, οἷον Θεραμένην καὶ Ἀριστοκράτην; at c. 92. Aristocratem ταξιαρχοῦντα invenimus. Virum minime ignobilem, cujus superbiam jam in Avibus Aristophanes cavillatur (126) quum praetor ad conjurationem accessisset ignominiose a dignitate remotum esse, quis credat? itaque vel sponte taxiarchi officium praetulit, quod non minoris momenti esset quam praetura vel tantum pro tempore eo functus est. — De Theramene adde c. 92. Lys. c. Erat. 65.; de ceteris Thuc. VIII. c. 92. 98. Xen. Hell. II. 3, 46.

urbibus potitae ad Lacedaemonios defecissent. Igitur maximam operam dabant, ut castellum, antequam ipsorum consilia penitus detegerentur, finirent. Itaque quum etiam naves hostiles adventare nunciarentur, Theramenes sodales quibus Phrynichi caedes paulo ante facta animos addiderat, ad diruenda munimenta excitavit. Is enim ante ipsos curiae portas in media forensi turba a peripolo quodam Thrasybulo Calydonio adjuvante Appollodoro Megarense vel Argivo interfectus erat, quorum ille patrata caede effugit, hic correptus et in vincula coniectus, adhibitis tormentis de sceleris auctoribus et consciis interrogatus neminem prodidit, sed frequentes civium conventus fieri indicavit, quum per alias domus tum apud praefectum peripolorum<sup>1)</sup>. Tanta vero ea caede omnium perturbatio extitit, ut multi quadringentorum solum verterent, ceteri vehementius aliquod coercendi populi consilium capere non auderent. Ne Apollodorus quidem necatus est, quem fortasse plura indicaturum esse sperarent<sup>2)</sup>. Sed mox

---

<sup>1)</sup> Non solos epebos Athenienses peripolorum munere functos esse monet V. Cl. Boeckh. C. J. I. p. 305. Exules propter popularia studia patria pulsi inter eos recepti esse videntur.

<sup>2)</sup> Φρύνιχος πληγείς ὑπὲρ ἀνδρῶν τῶν περιπόλων τινὸς ἐξ ἐπιβουλῆς ἐν τῇ ἀγορᾷ πληθούσῃ καὶ οὐ πολὺ ἀπὸ τοῦ βουλευτηρίου ἀπελθὼν ἀπέθανε παραχρῆμα· καὶ ὁ μὲν πατάξας διέφυγεν, ὁ δὲ ξυνεργὸς Ἀργεῖος ἀνθρωπος ληθθεὶς κ. τ. λ. Thuc. VIII. 92. Lysias c. Agor. 71 interfectorem nominat, alterum Apollodorum Megarensem fuisse tradit, publicis decretis usus. cf. σηκ. 4. Eadem nomina habet Lycurgus c. Leocr 112. De loco quo caedes facta sit et de tempore Lycurgus plane alia habet, quae cum Thucydidea narratione conciliari posse ut probet, frustra laborare videtur Vater l. l. p. 33. Plutarchus quum Hermonem pro interfectore habet (V. Alcib. 25) aperte negligentiae crimine tenetur. Capti sunt ambo teste Lycurgo, Thucydide locupletiore teste solus Apollodorus. Iudicium de Phrynicho mortuo statim haberi potuisse, negat Meier de bon. p. 181, contendit Vater l. l., sed ejus rationes mihi parum probabiles videri

orto in Piraeo tumultu rebus privati sunt. Nam gravis armaturae milites qui statis vicibus ibi Eetioniam munire cogebantur, quum Alexicles praetor operi instaret, Aristocrate tribuno auctore subito consilio Alexiclem in vincula conjecerunt, Hermonis qui Munychiae peripolis praefectus erat auxilio usi<sup>1)</sup>. Ubi hoc in senatu nunciatum est, vehementior factio vi tumultum reprimendum putavit, Therameni ejusque sociis multa minata. Tamen Theramenes effecit ut sibi rerum cura mandaretur, ab invitis credo, sed existimantibus eum solum fidem dictis inventurum esse, armis vincere arduum esse. Tamen multi cives ad arma vocabant et aegre a Thucydide Pharsalio aliisque retenti sunt, ne civili bello rempublicam pessumdarent. Theramenes autem cum suae factionis praetore altero profectus milites Eetioniam diruentes non impedivit sed ipse eorum argumentis se convictum simulavit, frustra reclamante qui cum equitibus eum comitatus erat Aristarcho. Piraeenses<sup>2)</sup> igitur cum militibus castellum celeriter demoliti sunt, clara voce quinque millibus ut imperium traderetur flagitantes, nam popularem reipublicae for-

---

fateor. Ceterum quam V. Cl. ad rerum condicionem qualis tunc fuerit cognoscendam affert narratio de Aristarcho ap. Xenoph. M. S. II. 7 aperte ad XXX tyrannidem pertinet.

Eo interfecto multos quadringentorum solum vertisse auctor est Lysias c. Agorat. §. 73, cujus narratio eo plus fidei habere debet, quod ipse tunc Athenis versabatur.

<sup>1)</sup> De eo v. Boeckh. Staatsh. II. p. 169. Hoelscher. Vit. Lys. p. 25. Scheibe, p. 122.

<sup>2)</sup> μᾶλλον δημοτικοὶ οἱ τὸν Πειραιᾶ οἰκοῦντες τῶν τὸ ἄστυ Aristot. Pol. V. 2, 12. Alexicles si, quod Vater voluit, justo iudicio antea quod Phrynichi causam orasset damnatus, a militibus correptus est, ut poenae legali eum reservarent, cur dimiserunt? Verum si factionis auctoritas jam adeo fracta erat, ut ejusmodi iudicium fieri paterentur, quomodo virum capitibus damnatum militibus jam mussitantibus praeficere poterant?

nam postulare non ausi sunt, ne quinque millium, quos esse crederent auxilio destituerentur.

Proximo mane senatus in curiam convenire, milites dimisso Alexicle, castello diruto, in Munychio theatro<sup>1)</sup> concionem habere, mox approbato omnibus consilio in urbem succedere, in Anaceo cum armis considerare. Eo oratores a senatu veniunt, ut hostium propinquitatis meminerint, rogant, singulos prensantes et obtestati: quinque millia propediem convocatum iri, penes eos omnium rerum arbitrium fore, ex iis quadringenos senatores statis vicibus legendos. Populus ad ea accessit, Lacedaemoniorum timore coercitus, omnique vi abstinuit: concionem constituto die in theatro de concordia habendam expectant. Sic ab instante periculo factio paululum respiravit et a summo necis metu liberata est, nam multitudo prorsus insperata moderatione utebatur. Tamen carceres publicos eo die effractos putaverim, nam eos qui rei popularis causa in vincula coniecti essent in factionis arbitrio relictos esse, vix credibile videtur; prae ceteris Apollodorum illum liberatum esse<sup>2)</sup> existimo, alterum Aristogitonem. Nomina quinque millium promulganda num cuiquam mandata sint, incertum est, Polystratus certe nondum ab Euboea redierat. Interea de quadringentis nihil traditur, quiete comitorum diem expectant, nihil novi moluntur; jam in theatrum Athenienses conveniunt, quum repente nuntiantur visae ad Piraeum XLII illae hostium naves. Thucydides in medio relinquit, vocataene a factione an sponte venerint, opportuno tempore venerunt, quae imminens a comitiis periculum pro tempore averterent. Utut fuit, diruto Eetioniae castello, fracta factionis potentia, Piraeum expugnare ne conati

---

<sup>1)</sup> v. Curtium de portibus, expl. tab. geogr.

<sup>2)</sup> εἰσθθέντας ἐξῆγε Lycurg. c. Leocr. 112.

quidem sunt, veriti ut videtur desperatam futuram civium pro aris et focis dimicationem. Mutato cursu Euboeam petierunt, Athenienses majore cum studio quam prudentia ad eam defendendam ruentes<sup>1)</sup> prodicione sociorum incauti opprimuntur, Euboea privati ad urbis defensionem se parant, sed hostes victoria uti nescierunt.

Igitur facto ad rempublicam ordinandam otio Pnycem antiquam popularis imperii sedem occupaverunt, et prima post fatalia illa a Pisandro convocata comitia habuerunt, ineunte anno Ol. XCII secundo, archonte Theopompo<sup>2)</sup>. Iam nemini non perspicuum erat quam inanes causas optimates conatibus suis praetexuissent, quum classis Samia a quadringentis pro hoste habita omnium impigerrime rempublicam defenderet, ipso Alcibiade duce, quum Tissaphernes tantum abesset ut urbanam factionem adjuvaret, ut cum illis de foedere ageret qui rem popularem tam insigniter tuerentur. Quum ita intellexissent dominos suos et tyrannos veros esse reipublicae hostes, vano illo a factionis violentia metu et terrore liberatus populus quadringentorum senatum magistratu privavit, praeterea nihil novavit. Mercedem ne quis de publico acciperet, praeter

<sup>1)</sup> praetore Thymochare, viro, ut videtur, a partium studiis alieno. cf. Krüger. l. l. p. 388.

<sup>2)</sup> Quadringenti viri quatuor menses in magistratu fuerunt, teste Aristotele ap. Harpocr. s. v. τετρακόσιοι, quem exerpisit Photius et Suid. Theopompi Hecatombaeone loco pulsos plerique Vv. Dd. censuerunt, v. Fritzsche ad. Thesm. p. 308. Vater l. l. tertio ejus mense pulsos suspicatur propter Thuc. VIII. 108. πρὸς τὸ μετόπωρον. Rationes diligenter examinare longioris disputationis est. Callia arch. Lysias Athenas venit, ἥδη τῶν ὑκατεχόντων τὴν πόλιν. Theopompo arch. Hippocrates praetor Antiphonte accusante παρανόμων condemnatus. Vit. X. Orat. p. 313. sed judicia περὶ παρανόμων tunc habita esse, vix credi potest.

milites, diris sanxerunt. Summa rerum quinque millibus tradita est, sed quum eorum tabulae nusquam reperirentur, omnibus qui gravi armatura mererentur suffragium datum<sup>1)</sup>. Ii deinde frequentibus comitiis singula ordinaverunt et rempublicam tam egregie administraverunt, ut prorsus afflictis rebus primi mederentur. Alcibiadi et aliis aliquot viris cum eo olim condemnatis publico decreto, Critia auctore, reditus datus est<sup>2)</sup>; ejus amici ad evertendam paucorum dominationem alacriter operam dederant<sup>3)</sup>. Oratores Samum missi, qui exercitum iis de rebus certiozem facerent et amicitiam cum eo renovarent.

Sed in magna rei publicae confusione extraordinariis magistratibus opus fuit, qui in ordinem res adducerent. Ad leges Solonis probandas et ordinandas νομοθέται electi sunt, qui intra quatuor menses negotium absolverent. Sed Nicomachus per totos sex annos in magistratu mansit, quo pessime functus, si Lysiae fides est, tamen recuperata post triginta libertate eidem iterum praefectus est<sup>4)</sup>. Quadringentumvirorum decreta maximam partim abrogata sunt<sup>5)</sup>.

Manserunt in magistratu καταλογεῖς, ad consignanda eorum qui cives optimo jure essent nomina aut a quadringentis aut una cum iis electi, si non omnes,

---

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 97. Diodor. XIII. 38. τὸ οὐστήμα τῆς πολιτείας ἐκ τῶν πολιτῶν ἐποιήσαντο (I. ὀπλιτῶν Krüger. I. I. p. 254).

<sup>2)</sup> Plut. Alc. 33. Legem suasit Theramenes (Corn. Nep. 7. vit. Alc. Diodor. XIII. 38.). Eodem modo Theramenes Antiphontem et Archeptolemm accusatione sua perdidisse dicitur, quum decreti auctor Andron esset.

<sup>3)</sup> Plut. V. Alc. 27.

<sup>4)</sup> v. Hoelscher V. Lys. p. 113. Bergk ad calcem Andocid. Schiller. p. 145.

<sup>5)</sup> Andocid. de rediv. extr.



certe Polystratus, qui novem civium millia in tabulas retulit<sup>1)</sup>).

Ad rationes a quadringentis repetendis λογισαὶ instituti sunt et qui reos in jus vocarent accusatores publici, quos admodum venales fuisse Lysias auctor est<sup>2)</sup>).

De condemnatorum bonis publicatis συλλογεῖς dispossuisse videntur<sup>3)</sup>), L συγγραφεῦσι quid mandatum sit non liquet; eorum unus Apolexis inter Antiphontis accusatores nominatur<sup>4)</sup>).

Quadringentis enim ipsa dominatio fraudi non fuit, imo qui cum Theramene et Aristocrate steterant in magno honore habiti sunt<sup>5)</sup>); omnibus autem rationes reddendae fuerunt<sup>6)</sup>): qui solum vertissent proditores judicati sunt, nomina in publico proposita<sup>7)</sup>). Inter eos

---

<sup>1)</sup> Lys. p. Polystrato 13. Ad idem tempus refert Schoemann Jur. p. antt. p. 182. Hoelscher V. Lys. p. 95. X priores συγγραφεῖς s. καταλογεῖς intelligit: sed nulladum nomina conscripta fuisse apparet.

<sup>2)</sup> p. Pol. 10. cf. Meier de bon. p. 112. οἱ ἡρημένοι συνήγοροι ap. Plut. X Orator. p. 314.

<sup>3)</sup> Lex Sang. ap. Bekk. Anecd. p. 304. Συλλογεῖς ἀρχοντες ἐπὶ τοῦ δήμου χειροτονητοὶ οὕτως ἀπέγραφον τὰς οὐσίας τῶν ὀλιγαρχικῶν. v. Boeckh. C. J. n. 99.

<sup>4)</sup> Harpocrat. s. v. Ἀπόληξις et σιασιώτης. Eum inter X priores συγγραφεῖς refert Meineke ad Plat. Soph. fr. 14.

<sup>5)</sup> Itaque rei postea ajebant, se cum Theramene et Aristocrate conjunctos fuisse v. Lys. c. Eratosth. 62. ss. Contra crimini erat, si quis Phrynichi amicus fuerat. Lys. p. Pol. 11. — Illi postea non semel praetura functi sunt. Aristocratis laudes v. ap. Demosth. c. Theocrin. p. 1343.

<sup>6)</sup> ut ex oratione pro Polystrato apparet, quae nisi tam misere mutila esset, magnam lucem his rebus affunderet. Sed excerpta tantum orationis habemus: nullus est sententiarum nexus, multa inter se pugnare videntur. — Multos CD virorum absolutos esse dicit Lysias ib. 14.

<sup>7)</sup> Andoc. de Myst. 78.

Pisander et Alexicles fuerunt qui Deceleam sese receperunt<sup>1)</sup>, Onomacles qui die dicta iudicio se fuga subtraxit, Aristoteles et Charicles, quos exules apud Lacedaemonios degisse traditum est<sup>2</sup>.

Primum iudicium habitum est de mortuo Phrynicho, eo populi odio ut vel eos qui Phrynichi causam orassent, si is condemnaretur eodem crimine teneri decernerent. Ille proditor iudicatus est, bona publicata, domus diruta, cadaver extra fines projectum. Decretum ea de re auctore Critia factum tabula aenea insculptum<sup>3)</sup>. Interfectores civitate immunitate praediis donati: decreta alia columna insculpta, quibus homines nequam ut adscriberetur effecisse videntur, se quoque populi benefactores extitisse<sup>4)</sup>.

In eandem cum Phrynicho tabulam quum aliorum tum Antiphontis et Archeptolemi nomina relata sunt, qui secundum S. C. Androne auctore factum, Theramene et Apolexi accusantibus, iudicati prodicionis damnati sunt. Onomacles qui simul accusatus erat, solum verterat; illi vel coacti, vel quod Antiphontis in dicendo vi toties victrice se tutos fore sperarent, in urbe manserunt; damnati poenam subierunt, etsi Thucydide

---

<sup>1)</sup> Thuc. VIII. 98. Pisandri bona publicata Lys. *σχ.* 4. de Onomacle v. decretum ap. Plutarch. Vit. Antiph. cf. Meier de bon. p. 182.

<sup>2)</sup> de Charicle ab Isocrate de big. p. 355., de Aristotele a Xenoph. Hell. II. 3, 18. Inter XXX fuit v. ib. II. 3, 2. 13.

<sup>3)</sup> Schol. Lysistr. 313 (e Cratero). Lyeurg. c. Leocr. 113, qui decreto prolato de suo nonnulla addidit quae vera esse non possunt, nam neque narrationem de caede facta neque nomina Aristarchi et Alexiclis in decreto scripta fuisse apertum est.

<sup>4)</sup> Lys. c. Agorat. 71. 72. *σχ.* 4. Demosth. Lept. p. 471. Nam qui praeter illos vocari possunt *οἱ καταλύσαντες τοὺς τετρακοσίους?* nisi forte Aristocrates et Theramenes.

teste nemo unquam capitis causam melius quam Antiphon oravit. Ejus oratio *περὶ τῆς μεταξάσεως* diu servata fuit, qua id præcipue probaret, omnium eandem culpam esse, non primum quemque puniendum esse, sed aut universum senatum aut neminem<sup>1)</sup>.

Aristarchus quum fugiens Oenoen prodidisset postea judicio damnatus est, facta defensionis potestate. Sed quum sponte eum in Atheniensium potestatem venisse non credibile sit, excursionem e Decelea factam caput esse, cum Krügero V. Cl. existimo<sup>2)</sup>.

Proximo anno, Glaucippo archonte, Demophanti lege libertati cautum est<sup>3)</sup>: mox in eos qui a logistis absoluti vel leviter mulctati essent, denuo saeviri coeptum, crescente in dies delatorum audacia<sup>4)</sup>: plurimi infamia affecti sunt, omnes milites qui diruto Eetioniae castello apud tyrannos in urbe manserant, capite deminuti sunt<sup>5)</sup>, ut neque senatoribus fieri neque concionari liceret. Ut his omnibus peccatorum venia daretur quum Aristophanes in Ranarum fabula suasisset<sup>6)</sup>, paulo post

<sup>1)</sup> Harpocrat. s. v. *ἐμποδῶν* adde *τετρακόσιοι στασιώτης* (cf. Aristoph. Eq. 447.) *ἐπεσκήψατο*, *Ἡετιωνία*. De alio Antiphonte orationis *περὶ ἁμονοίας* auctore v. Schneider. ad Xenoph. M. S. I. 6, 1. Utraque sententia ipsa fragmentorum natura defenditur contra rationes Spengelii *συναγ. τεχνῶν* p. 113. Cf. Thuc. VIII. 68. Cic. Brut. 12. Lys. c. Eratosth. 67. Genus Antiph. Plut. V. X Orat., ubi Psephismata e Crateri collectione adscripta sunt. Sed unde hausit C. F. Hermannus, Aristocratem quoque accusatoris partes egisse? Staatsalt. §. 167.

<sup>2)</sup> I. I. p. 389. cf. de eo Thuc. VIII. 98. Xenoph. Hell. I. 7, 28. Lys. pro Polystr. 28. Bergk Comm. p. 343, sed eum judicio absolutum et postea Socrate amico usum esse: XXX dominantibus domi cum cognatarum turba sedisse, quis credat? cf. Xen. M. S. II. 7.

<sup>3)</sup> v. Meier de bon. p. 3. ss.

<sup>4)</sup> Lysias pro Polystrato passim. cf. aff. tyr. 25.

<sup>5)</sup> Andocid. de myst. 75. <sup>6)</sup> v. 691. ss.

lege Patroclidis effectum est<sup>1)</sup>); deinde exules quoque a Lacedaemoniis reducti sunt et partim inter XXX tyrannos recepti, multi senatores facti<sup>2)</sup>), irae et cupiditati effuse indulserunt, alii autem quum inter quadringentos fuissent, tunc ad meliores Thrasybuli partes accesserunt<sup>3)</sup>). Diu autem post recuperatam libertatem mansit, ut quem quis laedere vellet, eum inter quadringentos tyrannos fuisse diceret<sup>4)</sup>).

---

<sup>1)</sup> Andoc. de myst. 77—79.

<sup>2)</sup> Lys. c. Agorat. 74. v. supra p. 42.

<sup>3)</sup> Lys. aff. tyr. 9.

<sup>4)</sup> Lys. c. Nicomachum 7.

## ARGUMENTUM.

---

	Pagina
<b>D</b> e factionibus in Atheniensium republica . . . . .	1
Condemnatio Alcibiadis. Pisander et Charicles. Rerum post haec condicio . . . . .	5
Probulorum electio, munera. De Hagnone et Sophocle .	13
Res a Probulis gestae. Praetores enumerantur . . . .	20
Conjuratōnis initia. De Alcibiade . . . . .	25
Pisander primum Athenas missus. Lysistrata . . . .	28
Nova consilia Sami inita . . . . .	34
De rebus in urbe gestis. Thesmophoriazusae . . . .	35
Altera Pisandri legatio. XXXviri legibus scribundis .	37
Quadringentorum institutio, nomina, agendi ratio . .	39
Quae Sami et apud classem gesta sunt narrantur . . .	49
Discordiae inter CD natae; de Theramene. Phrynichi cae- des. Eetionia diruitur . . . . .	54
Abolita CD dominatione πολιτεία instituitur; senatorum varia fata exponuntur . . . . .	63—67

---

ARCTIUM

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

---

**TYPIS PETSCHIANIS.**

---

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195


196

197

198

199

200



160